

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Dissertatio Ad Articulum Symboli, Qui Agit De Sessione  
Filii Ad Dextram Patris**

**Duysing, Heinrich Otto**

**Marburgi Cattorum, MDCCXLI**

**VD18 13490567**

**urn:nbn:de:gbv:45:1-17284**

24  
25

DISSERTATIO  
AD  
ARTICULUM SYMBOLI,  
QUI AGIT  
DE  
SESSIONE FILII  
AD  
DEXTRAM PATRIS,  
AUCTORE  
HENRICO OTTONE DUISING.



---

MARBURGI CATTORUM,  
Apud PHILIPPUM CASIMIRUM MULLERUM,  
MDCCXLI.









*ILLUSTRI AMPLISSIMOQUE*  
**VIRO**  
**HENRICO OTTONI**  
**CALCKHOFF,**

AUGUSTI SUECORUM REGIS, RELIQ.  
HASSIARUM LANDGRAVII, RELIQ.

ADMINISTRO STATUS,  
MOECENATI, FAUTORI,  
PATRONO,

**AVUNCULO SUO,**  
AD CINERES USQUE DEVENERANDO,

*HANC SUAM DISSERTATIONEM*  
OBSERVANTIÆ MONUMENTUM, GRATI ANIMI  
TESSERAM,

QUO DECET PIETATIS AFFECTU,  
*DICAT ET CONSECRAT*

**HENRICUS OTTO DUISING.**





ILLUSTRI AMPLISSIMOQUE  
VIRO  
HENRICO OTTONI  
CALCKHOFF

AUGUSTI SUECORUM REGIS, RELIG.  
HASSIARUM LANDGRAVI, RELIG.  
ADMINISTRO STATUS,

MOECENATI, PATTORI,  
PATRONO,

AVUNCULO SUO,

AD CUIUS REGIUM DEVERENDO,

HANC LITAM DEDICAVIT,

OBSERVANTIAE MONUMENTUM, GRATIA ANIMI  
TESTIAM

QVO DECT LITATIS ADPECTU

TRACT ET COAZCAT

HENRICUS OTTO BURING

Missa





**VIR ILLUSTRIS,**  
**AVUNCULE VENE-**  
**RANDE.**



Ntiquus ille mos est, ut quibus  
nos obstrictos sentimus, la-  
bores nostros publicos sacros  
faciamus. Dictum habemus  
Aristidis Sophistæ: τὰς μὲν νεώς

ταῖς θεοῖς προσήκει καθιερεῖν· τὰς δὲ ἄνδρας τὰς ἐλλογίμους τῇ  
τῶν βιβλίων ἀναθέσει τιμᾶν. *Templa Diis consecrare con-*  
*venit, Viros vero eximios decet librorum dedicatione ho-*  
*norare.* Quem priscum morem dum sequor,  
Tibique, **VIR ILLUSTRIS**, hasce  
studiorum meorum primitias offero, easdem  
te benevole acceptaturum confido.

X 3

Multæ



Multæ & graves hoc exigebant rationes, Si enim propinquitas pietate colitur; Si gratum animum beneficia poscunt; Si fidelissimis monitis debetur obsequium: mihi sane, si cui unquam, incumbit, ut, qua occasione queam, pium, quem erga **TE, VIR ILLUSTRIS, AVUNCULE VENERANDE** sentio amorem, vel, si mavis, Reverentiam, **TIBI** significem; tot benefactorum memoriam grata mente recolam; omnibus denique viribus eo contendam, ne vel ignavus vel degener vitæ tempus teram.

His rationibus motus, **TIBI, VIR ILLUSTRIS, AVUNCULE VENERANDE**, offero hoc, qualecunque demum est, studiorum meorum Specimen. Acceptes, rogo, exiguum hoc pietatis & sinceri affectus testimonium; intelligant & alii, quam arctis vinculis me **TIBI** obstrictum



Etum fatear. Acceptes & hanc, quam **TIBI** pro acceptis beneficiis nunc publice exhibeo, gratiarum actionem; Sciant & cæteri, quanta **TIBI** debeam. Sume denique hoc profectuum meorum Specimen, atque **IPSE**, si lubet & vacat, explora studiorum meorum rationem in illo Scientiarum genere, cui hactenus navavi operam.

Certum ratumque habeas **AVUNCULE VENERANDE**, nihil magis mihi esse in votis, quam ut vita mea tandem cedat in aliorum commodum. Novi hominis illud esse officium. Neque etiam mihi, futura metuenti exiguum solamen affert monitum illud, quod est apud Salustium, quodque **IPSE** mihi, **VIR ILLUSTRIS**, aliquo abhinc tempore inculcasti: *Vigilando, agendo, — prospere omnia cedunt; Ubi te socordiae atque ignaviae tradideris nec quidquam Deos implores. Irati infestique sunt.* Sed mitto hæc, quæ a re & loco aliena esse videntur  
Quod





Quod restat, **VIR ILLUSTRIS,**  
**AVUNCULE VENERANDE,**  
 Deum ex animo precor, ut vivas vitam diu-  
 turnam & felicem. Faxit Benignissimum  
 Numen, ut nulla unquam calamitate fractus,  
 nulla re adversa contristatus, nullo vel ani-  
 mi vel corporis dolore turbatus, agendo &  
 consulendo prosis civibus tuis porro atque  
 diu. Mihi vero, ut faveas, enixe rogo.

**ILLUSTRIS ET AM-  
 PLISSIMI  
 NOMINIS TUI**

*Scripti Marburgi in Cattis  
 ipsis Idib. Decembr.  
 MDCCXLI.*

Observantissimus  
**Henricus Otto Duifing.**





DISSERTATIO  
DE  
SESSIONE FILII  
AD  
DEXTRAM PATRIS.



In docendo atque regendo grege Christi quocunque tempore Servatoris praescripta & Apostolorum monita observata fuissent, si cuncti, qui Christianos se nominari passi sunt, id uni-  
ce atque semper egissent, quod Christus discipulos suos facere jusserat, nullae unquam locum habuissent inter docentes contentiones, nullae aemulationes, nullae de Religione lites; Siquae forsan de aliqua re orta fuisset controversia, nulla tamen inde nasci potuisset haeresis, nullum in Ecclesia Schisma. Nemo alterum in propagando Evangelio & Regno Christi prolatando impedivisset unquam, sed potius idem adunatis viribus egissent omnes. Vicissim & illi, qui in Christianorum Religionem transiissent,  
A pia



pia fide veritates revelatas recepissent, curiosas speculationes captassent nunquam. Ita factum fuisset, ut nemo suas opiniones alteri obtrudisset, sed potius singuli sua studia, suam operam, industriam, cogitationem, mentem denique omnem in servanda lege Christi fixissent, & licet molestum, illud tamen ad cœlum fecissent iter, quod Servator ipsis monstraverat. Ast vero, quamvis bene sciamus puriorem longe fuisse Ecclesiam ab initio, mox post discessum Christi, satis mature tamen discordiæ pullularunt semina, cujus rei vestigia in ipsis sacris literis prostant. His tristiora successere tempora, quibus pedetentim & gradatim ambitio aliaque in Ecclesiam irrepsere vitia. Quo pacatior postea fiebat Ecclesiæ conditio, eo magis invalescebat corruptio. Non tantum intercidebat prisca pietas, sed & ipsa de Religione doctrina post multas tum additiones, tum depravationes pristinam puritatem amisit. Merito autem quis posset mirari, qui factum sit, quod non majorem Ecclesia adhibuerit sollicitudinem, ut hæc & alia Satanae molimina averruncaret. Christus enim & Apostoli hoc sæpius prædixerant, monueratque speciatim Paulus, venturos homines non veritatis, sed fabularum sectatores. Impendere tamen suam curam primavi Ecclesiæ Antistites, ne Christiani inter se de Religione disceptarent, sed manerent omnes in unitate fidei. Videntur hunc habuisse finem in condendis brevioribus illis & simplicioribus fidei compendiis, quæ sub SYMBOLORUM nomine nota sunt. Illorum antiquissimum procul dubio est, quod vocatur APOSTOLICUM, cujus continuus usus a primis seculis ad nostra usque tempora in Ecclesia mansit. Quum enim ita compositum sit, ut Symbolum fere totum constet Scripturæ verbis, fieri facile potuit, ut partes etiam de doctrina inter se dissentientes, salvis



salvis peculiaribus suis opinionibus, eidem subscribereat omnes. Quemadmodum vero Scriptura ipsa variis & contrariis saepe interpretamentis est obnoxia, ita etiam Symbolum hoc Theologos inter se quam maxime dissidentes habuit interpretes & commentatores. Nos saniorum vestigia prementes, dissertationis nostrae argumentum fecimus in titulo memoratum articulum de *SESSIONE FILII AD DEXTRAM PATRIS*. In quo explicando, ut ordinem aliquem observemus, primo ostendemus gloriosam hanc Christi Sessionem jam a Davide esse praedictam. Deinde examen instituemus metaphoræ. Recensebimus porro varias Theologorum hujus articuli interpretationes. Ultimo denique loco adjiciemus nostram de hoc argumento sententiam, cujus fundamentum habemus Regnum Filii Oeconomicum.

## §. I.

Quemadmodum nulla est in Symbolo sententia, cujus argumentum non probetur expressis Scripturarum testimoniis, ita etiam in Scriptura Novi Testamenti frequens est mentio *SESSIONIS CHRISTI AD DEXTRAM PATRIS*. Non autem illa veritas, tanquam hactenus plane ignota, divinitus revelata primum innotuit sub Novo Testamento, sed jam a Davide per modum vaticinii Ecclesiæ Veteris Testamenti tradita fuit. (a) Quam Prophetiam in Christo esse adimpletam ab Apostolis & ipso Salvatore edocemur passim in Scriptura Novi Testamenti. Quum vero vaticinium ipsum *inter illas Scripturas referat TERTULLIANUS* (b) *quas Judæi nobis advocare conantur*, non alienum erit, illud ab iniquis eorum detor-

A 2

fioni-

(a) Psalm. CX. 1. (b) contra Marcion. Lib. V, cap. IX.





fionibus, perversisque interpretationibus breviter vindicare. Verba Psalmi sunt : יהוה לימני ער אשית איכר הרם לרגליך : *Psalmus Davidis*: *Dixit Jehova Domino meo, sede ad Dextram meam, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Nul- lam hic quidem controversiam movent Judæi de Persona illius, qui insignitur nomine יהוה *Jehova*, quippe quod Dei Nomen τετραγράμματον ipsos ad superstitionem usque venerari notum est: mira tamen fingunt, ut Christus pri- vetur hujus Sessionis gloria. Sunt primo, qui dicunt, *Psalmum hunc in Ezechiam cecinisse Davidem, quia is federit ad Dextram Templi, & hostes ejus averterit Deus.* (c) Quam frivolam hujus vaticinii enervationem in Ju- dæis quoque reprehendit JUSTINUS MARTYR (d) καὶ τῆτον τὸν ψαλμὸν ὅτι εἰς τὸν Ἐζεχίαν τὸν βασιλέα ἐξηγείσθαι τολ- μαῖτε, ἐκ ἀγνοῶ. Neque vero ipsi satis inter se conveniunt. Nam alii de Abrahamo, alii de Zorobabele, alii de alio hanc prophetiam interpretantur, teste CHRYSOSTO- MO: (e) ἵνα ὃν ἐκένει (Judæi) τὸν λέγοντά Φασι; τὸν Θεόν. τὸν δὲ ἀκούοντα; τὸν Ἀβραάμ, ἕτεροι δὲ τὸν Ζοροβάβελ, καὶ ἄλ- λοι ἕτερον.

## §. II.

Ineptior adhuc est sententia illorum, qui ad *Popu- lum Israël*, vel ad *Davidem* ipsum τὸ *sedere ad Dextram Dei* referunt. Cui interpretationi tamen CRELLIUS So- cinianus ex sua hypothese aliquo modo subscribere non veretur. De  *Davide*, inquit, (f) quod & alii ante nos agno- verunt, primo seu typico sensu Psalmus loquitur. Nam „licet

(c) TERTULLIANUS. loc. citat. (d) Dialog. cum Tryphon. Judæo. (e) Commentar. ad Psalm. CX. I. (f) Com- mentar. ad Hebr. I. 4.



„licet David ejus auctor fuerit, & mystico sensu is ipse,  
„ut Christus docet. Christum Dominum suum vocet,  
„tamen ita fuit compositus hic Psalmus, ut a populo aut  
„unoquoque ex populo tunc caneretur de  *Davide* .  *Davi-*  
„ *dem*  vero Deus inter omnes Reges ac Principes terræ ad  
„Dextram suam, hoc est, omnium honoratissimo loco  
„collocavit, & primam Imperii, quod in terris habuit,  
„partem ei concessit, nimirum Regium Imperium in su-  
„um Populum. Quia ergo & Christus Davidis Anti-  
„typus Imperium habet in populum Dei & quidem cœ-  
„leste, ac primus post Deum est, locoque honoratissimo,  
„ideo ad Dextram Ipsius in cœlis consedissee dicitur.  
Quam erroneam CRELLII interpretationem nobis no-  
tasse sufficiat. Vetat enim instituti ratio principiorum  
Socinianorum prolixam hic texere confutationem, ma-  
xime quum eadem adversus CRELLIUM hoc loco fa-  
ciant, quæ opponuntur Judæis.

## §. III.

Accidit vero his & cæteris istiusmodi Interpretibus,  
quod multis aliis, qui tuentur errores. Sicut enim illi  
errores erroribus augent, ita & Judæi, ne quid obstet in  
illustri hoc vaticinio detorquendo, auctorem Psalmi du-  
bium & incertum reddere conantur. Licet enim illi, qui  
Prophetiam hanc de Ezechia Rege vel Zorobabele expli-  
candam esse autumant, Davidem Regem non negent  
Hymni hujus auctorem, negant tamen cæteri & pro va-  
ria interpretatione varios quoque nominant auctores.  
Qui  *Abrahami*  laudes Psalmi hujus argumentum ponunt,  
servum ipsius Eliezerem illas in honorem Domini sui de-  
cantasse somniant, nulla, ne quidem tituli, habita ratio-  
ne. Qui elogia Psalmi ad Davidem pertinere vellent,  
aliquem ex ipsius cantoribus auctorem faciunt, & vanum





quærent in inscriptione præsidium לְרֹדֶר מִמּוֹר quasi illa significaret Psalmum non esse *Davidis*, sed *de Davide* vel *Davidi* cantatum. Hinc enim potius contrarium constat, siquidem plures alii Psalmi, de quibus tamen certum est, quod hunc Regem & Prophetam auctorem habeant, & in quibus nihil est, quod ad Davidem posset referri, hoc titulo insigniuntur. Imo & ipse Linguae Hebraeæ Genius literam ל sapius secundi sive *Genitivi casus* notam admittit. Exempla in Scriptura Veteris Testamenti passim prostant, (g) & probant idem prolixius Buxtorffius, (h) Sonntagius (i) alique.

## §. IV.

Quidquid tandem male sani Judæi in contrarium proferant, nos tamen Servatorem ipsum Optimum & certissimum hujus Psalmi & Prophetiæ habemus Interpretem. (k) Ille enim non tantum ad hoc *DAVIDIS* testimonium provocat, sed & de Christo illum esse locutum testatur. Possent ipsi Judæi, nisi densa caligine occæcatos haberent oculos hoc facile animadvertere, tum ex eo, quod ille, qui sedet ad Dextram Dei, vocatur *Dominus Davidis*, (non enim possunt Abraham, Ezechias, Zorobabel, multo minus ipse David vel populus Israël, eo quo hic occurrit sensu, nuncupari Domini Davidis) tum maxime ex aliis, quæ adduntur promissionibus, de missione sceptri ex *Zione* (l) de spontaneo & sancto populi cultu, de constitutione ad æternum Sacerdotium, secundum ordinem Melchisedeci, &c. Quibus rationibus moti Judæorum saltem

(g) 1. Sam. XIV. 16. 1 Paral. XVII. 24. Psalm. XXX. 1. Psalm. LXI. 1. Habac. III. 1. &c. (h) Thesaur. Grammat. L. II. c. XVII. (i) in Titul. Psalm. pag. 100. (k) Matth. XXII. 41. seq. (l) Psalm. CX. 2. seq.



saltem quidam prudentiores, non tantum olim, quod patet ex silentio Phariseorum, adversus quos Christus hunc locum urfit, (m) sed & recentioribus temporibus Psalmi verba de nemine nisi Messia intelligi posse fassi sunt. (n)

## §. V.

Hæc nobis de sensu & auctore hujus Prophetiæ monuisse sufficiant; neque amplius huic præcise loco immoramur, cujus saltem mentionem fecimus, ut pateat *Sessionem Christi ad Dextram Dei*, ad quam toties sub Novo Testamento provocarunt Apostoli, jam olim in Spiritu prædixisse Davidem. Pergemus nunc in explicando hoc fidei articulo, quo confitemur *Christum sedere ad Dextram Patris*, & primo quidem ipsam locutionem ab hominum consuetudine desumptam excutiemus, ut ita cognita vocum emphasi facilius intelligamus, quomodo ad res divinas transferatur Metaphora. Ita enim veritatem ipsam aliquo modo posse illustrari arbitramur.

## §. VI.

Manus Dextra ab antiquissimis temporibus apud homines in honore fuit & sinistra præstantior habita. Vox hebræa

(m) Matth. XXII. (n) Rabbiorum hanc in rem testimonia prostant apud MUNSTERUM & GROTIUM in annotat. ad Psalm. CX. Alia his addidit POLUS in Synops. Critic. ad h. l. Probavit idem quoque HACKSPANIUS in not. philolog. ad Ps. CX. Qui plura adversus Judæos cupit argumenta, adeat AUGUSTINUM de Civ. Dei Lib. XVII. C. XIV. & quæ in notis suis ibi addiderunt LUD. VIVES & LEONH. COQUEUS. HOORNBECKIUM in Lib. contra Judæos p. m. 366. seq. MARCKIUM Exercitat. XVIII. in Ps. CX. & alios, qui prolixiores hujus Psalmi vindicias exhibent.





hebraea  $\text{יָד}$  quemadmodum derivatur ab  $\text{יָדַן}$  & graeca  $\delta\acute{\epsilon}\xi\iota\alpha$  a verbo  $\delta\acute{\epsilon}\chi\omega$  (quæ etiam est origo vocis latinæ, nisi quis illam cum HUGONE de S. VICTORE (o) forsan velit derivare a *Dando*) ita contra sinistram dixere  $\sigma\kappa\alpha\iota\acute{\alpha}\nu$ , quia  $\sigma\kappa\alpha\iota\acute{\omega}\varsigma$  ἔχει πρὸς τὰς πράξεις *inepta est ad actiones* & Ἀριστεράν, τὴν ἔκ δευτέρου ἀριστην, ἀλλὰ τῇ ἑτέρᾳ ὑπερεξέσταν, *optimam, quæ optima non est, sed alteri inservit.* (p) Τοῖς γὰρ δεξιῶσι πάντα πέφυκε τὰ ζῶα ἀδρά μᾶλλον, *Parte enim dextra omnia animalia sua natura sunt efficaciora,* (q) & φύσει βέλτιον τότε δεξιὸν ἀριστερῶ, *Natura Dextrum melius est sinistro.* (r) *Illud enim regit calor visceris sui, hoc contagione frigoris sinistra obtinentis hebetatur.* (s) Hæc ratio quasi naturalis est, cur homines omni tempore manum dextram sinistram præstantiorem existimaverint. Δέξια τιμιωτέρα νομίζονται τῆς ἀριστερᾶς, *Dextra præstare putatur sinistra,* inquit JUSTINUS MARTYR. (t) Exempla antiqua satis occurrunt in ipsis sacris Literis. Jacobus quando duobus ex Josepho Nepotibus Menassi & Ephraimo ante obitum benedictionem impertire volebat, (u) eosque Josephus e regione Patris senio confecti ita disponderet, ut Menassen primogenitum collocaret versus ipsius dextram, Ephraimum vero natu minorem, versus sinistram, ordinem quem Josephus observabat, plane immutabat Jacobus, & quum sacri huiusmodi actus peragerentur manuum impositione, Dextram manum imponebat Ephraimo, sinistram Menassi. Josephus qui hoc per errorem fieri putabat, melius Patrem

(o) Institut. Monast. Lib. III. cap. 60. fuit Doctor Seculi XII.

(p) Etymolog. M. voc.  $\delta\acute{\epsilon}\xi\iota\alpha$ ,  $\sigma\kappa\alpha\iota\acute{\alpha}\nu$ , Ἀριστερά. (q) ARISTOTELES de part. animal. Lib. IV. cap. 8. (r) Idem de iness. animal. cap. IV. (s) MACROBIUS Saturnal. Lib. VII. c. 4. (t) Responsion. CXVIII. ad Orthodoxos, (u) Genes. XLVIII.



trem instruere volens, accipiebat responsum: Novi Fili mi, novi; crescent etiam Menassis posterii, attamen ipsum antecellet Ephraïmus. Hoc igitur manuum permutatione indigitaverat Jacobus. Quare opus non est, ut hic aliis iisque incertis speculationibus inhæreamus, quod illi faciunt, qui per hanc manuum transpositionem Crucis signum Jacobum præfigurasse autumant. (w)

## §. VII.

Eundem vero morem, ne longius aberremus a via, ceteris quoque populis Ægyptiis, (x) Afris, (y) Numidis, (z) & plurimis aliis receptum fuisse docent veterum Scriptorum testimonia. De Romanis imprimis notissimum est, quod illos, quos honoraverint, ad Dextram collocaverint. Patet hoc ex Scriptorum Latinorum locis innumeris. (a) Manui dextræ Religionem quandam inesse, ceteros inter Persæ maxime atque Romani putabant, unde & illa utebantur tanquam Symbolo atque Sacramento

B

fidei.

(w) TERTULLIANUS de Baptismo cap. VIII. *Impositis & intermutatis manibus benedixit, & quidem ita transversim obliquatis inter se, ut CHRISTUM* (Lipsius legendum putat x græcam literam huius figuræ) *deformantes, jam tunc portenderent benedictionem in Christo futuram.* DAMASCENUS Lib. IV. Orthod. cap. 12. *ἰανδρὸς προσκυνοῦσας τὸ ἄκρον τῆ ῥάβδου, ἐνδεδυμένους ταύτῃ χειρὶ τὴν ἑτέραν, ἰωσήφ ἐυλογοῦσας, καὶ τὸ σημεῖον τῆ εὐαγγελίου διαγράψαι σαφές.* Quos deinceps sequuti sunt complures alii recentiores Doctores Ecclesiæ Romanæ, (x) ALEXANDER AB ALEXANDRO in Genial. Dieb. Lib. II. Cap. XIX. adde ibi TIRAQUELLI notas. (y) ALEX. AB ALEXANDRO loc. cit. (z) SALLUSTIUS in Bello Jugurth. pag. 221. edit. Lugdun. 1649. AL. AB ALEX. loc. cit. (a) SUTTONIUS in Nerone cap. XIII. in Claudio cap. XXIV. HORATIUS Satyr. II, v, 15, &c.





fidei. (b) Multis in locis vice jurisjurandi repertum est, ut fides datis dextris, quæ erat πίσις βεβαιωτάτη παρὰ τοῖς ἑσπείαις, ut loquitur DIODORUS, (c) obstringatur ea vi, ut ni impleatur promissio, Promissor non minus detestabilis haberetur, quam si pejerasset. (d) De Numa Pompilio referunt auctores, (e) quod Sacrarium fidei instituerit, ad quod Flamines curru arcuato, manu ad digitos involuta, solemni pompa vehi iussit, magno argumento illam in Dextris Sanctam Sacratamque & propterea minime violandam ratus. (f) In Adorando Dextram ad osculum referimus, inquit PLINIUS. (g) APULIUS:

LEJUS:

- (b) VIRGILIUS Aneid. I. v. 412. III. v. 83. & 610. CURTIUS Lib. VI. cap. 7. & 10. Lib. VIII. c. 11. LIVIUS Lib. XXX. c. XII. n. 11. & cap. XIII. n. 5. NEPOS in Themistocl. cap. VIII. in Datam, circa fin. STATIUS Theb. Lib. I. v. 420. Apud ipsum CICERONEM testimonia passim obvia sunt, in orat. pro Dejotaro cap. III. in Verrem X. 40. ALEX. AB ALEXANDRO Genial. Dier. Lib. II. cap. XIX. Docent idem Græci plurimi. Antiquissimus omnium HOMERUS Il. β. v. 341. Il. α. v. 672. POLYBIUS Lib. V. 54. DIOD. SICULUS Lib. XVI. cap. X. JOSEPHUS antiq. J. Lib. XVIII. c. XI. HESYCHIUS voc. δεξιὰ. Addi possunt TACITUS Annal. XII. XLVII. 3. OVIDIUS Heroid. II. v. 31. RHODIGINUS A. L. IX. 22. Confer. BRISSENIUS in Persicis, & form. I. TIRAQUELLUS in præfat. ad commentar. de jur. primigen. J. P. PFEIFFERUS in Antiq. Græcis Lib. IV. cap. XII. (c) Lib. XVI. cap. XLIII. (d) GROTIUS de jur. B. & P. Lib. II. cap. XIII. §. 22. (e) LIVIUS I Decad. Lib. I. DIONYSIUS HALICARNASSEUS Lib. II. PLUTARCHUS in Numa. (f) ALEX. AB ALEXANDRO Gen. Dier. L. II. cap. XIX. (g) Lib. XXVIII. cap. 2. Hist. Nat. vid. & Lib. XI. cap. 45.





LEJUS: (h) Multi civium admoventes oribus suis Dextram, priori digito in erectum pollicem residente, religiosis adorationibus illam venerabantur. LUCIANUS; (i) ὁ πένης ἰλάσατο τὸν Θεὸν Φιλήσας μόνον τὴν αὐτῆ δεξιάν. *Pauper placavit Deum osculatus solummodo Dextram suam.* (k)

## §. VIII.

Factum hinc est, ut & latus sive regio dexterior, laeva haberetur potior. Exempla hujus rei iterum prostant in ipsis Sacris Literis. Christus ubi loquitur de ultimo judicio, (l) oves i. e. pios ad Dextram, hœdos vero i. e. impios ad Sinistram se collocaturum prædicit. Observant hic interpretes Philologi, Christum respexisse ad ritum tunc temporis observatum in Synedrio Judæorum. Locus est in Codice SANHEDRIN: (m) Synedrium instar horrei dimidiati fuit, uti orbicularis, ut unus alterum contueri posset. Coram illis a dextra & laeva stabant duo Scribe, qui absolventium & condemnantium annotarent sententias. (n) Ubi quod in transitu moneo, Coccejus (o) reprehendit MAIMONIDEM, qui illum ordinem in confesso Synedrii observatum esse ait, ut quo quisque ceteris honoratior fuerit, ita ad sinistram Principis propius federit. Adversus illum autem pluribus ostendit Cl. Coccejus, (p) Principem sedisse medium, ad Dextram Senatum, ad laevam Sapientes, qui dignitate tertii erant. (q)

B 2

Addunt

(h) Metam. Lib. IV. adde ejusdem apologiam primam. (i) Libro περὶ θυσιασίων de Sacrificiis. (k) Confer. P. PITHOEI adv. I. cap. 7. J. P. PFEIFFER: Antiq. Græcas Lib. I. cap. IV. &c. &c. (l) Matth. XXV. 31. (m) Cap. IV. §. 3. (n) Confer. DRUSIUS præteritor. Lib. I. SAUWERTUS in Palæstr. pag. 289. (o) In not. ad Sanhedrin. cap. IV. §. 3. (p) loc. cit. (q) Confer. VITRINGA Obser-





Addunt his alii, partes quoque in hoc iudicium vocatas, ita collocatas fuisse, ut absolvenda dextram, damnanda vero sinistram teneret. Aliena igitur non est illorum conjectura, qui Christum ad Judæos verba facientem, ad hunc ritum ipsis notum respexisse putant; quod alibi etiam factum observamus. Ita ergo Christus, quando ait, sese hædos, sub quorum nomine veniunt impii, collocaturum ad sinistram, significasset, esse qui eos accusaret, & accusatos damneret; oves vero i. e. pios & electos ad Dextram se positurum dicit, ut ita in ipso iudicio adparerent absoluti. (r)

## §. IX.

Subjungo hic pulchrum & huic aliquo modo finem PLATONIS locum, maxime quum PLATONIS ætas multum antevertat Epocham nostram, quippe cujus mors ex quorundam computo incidit in annum ante natum Christum CCCXLVIII. Ille ergo postquam prolixè docuerat, (s) malos post hanc vitam manere pœnas, bonos vero præmia, mentionem facit Eris alicujus Armenii, „genere Pamphylii, qui quum occubuisset in prælio, sub-  
„latis decimo die cadaveribus, cæteris jam corruptis, in-  
„teger quidem incorrupto corpore repertus fuit, domum-  
„que delatus ut sepeliretur, duodecima jam ab obitu die,  
„dum pyra impositus esset, revixit, & quæ interim vi-  
„derat, retulit. Narravit ergo postquam anima fuisset  
„a corpore separata, se una cum pluribus in locum quen-  
„dam

Observar. Sacr. Lib. II. cap. IV. §. 10. & 11. & cap. V. qui idem fufius probat ex Rabbiorum testimoniis. (r)  
Vid. J. C. WOLFIIUS in curis Philolog. Crit. ad Matth. XXV. 33. (s) Libr. X. de Republ. pag. 518. Edit. Lugdun. 1520.





„dam Dæmonum pervenisse. In quo terræ duos proxi-  
 „mos vidit hiatus: duos item alios e conspectu superne  
 „in cæli regione conspexit: Δικαστὰς δὲ μεταξύ τῶτων κα-  
 „θῆσθαι: ἕς ἐπειδὴ διαδικάζειαν, τὰς μὲν δικαίους κελύειν πορεύε-  
 „σθαι τὴν εἰς δεξιὰν τε καὶ ἄνω διὰ τῆς ἑρανῆς. *Inter hos vero*  
 „hiatus Judices sedere, qui postquam animas judicarunt,  
 „justos quidem ad Dextram supra per cælum ascendere  
 „jubent. -- τὰς δὲ ἀδίκους, τὴν εἰς ἀριστεράν τε καὶ κάτω.  
 „Injustos contra ad Sinistram infra. &c. (t) Haftenus  
 Sapiens Græcus, cujus verba interponere opera pretium  
 duximus. De Judæis memoriæ proditur, quod Εὐλογίας  
 benedictiones & promissiones Legis pronunciaverint obver-  
 so vultu ad montem Garizim, qui ipsis situs erat versus  
 meridiem, sive ad Dextram; Ἀρὰς autem Diras & exe-  
 crationes legis ore obverso ad montem Hebal, qui ipsis  
 ad Aquilonem i. e. sinistram positus erat. (u) Cujus rei  
 ratio licet a quibusdam adducatur tantum situs illorum  
 montium, quia Dextra, ut loquitur AUGUSTINUS (w)  
 felicitatis & dignitatis locus est, sinistra infelicitatis & mi-  
 seriae, mihi tamen repetenda videtur ab expresso præcep-  
 to MOYSIS. (x) Possent plura hic congeri exempla

A 3

etiam

(t) Confer. ELSNERI Observat. ad N. Test. pag. 116. &  
 D'OUTREINII in Observat. Miscellan. pag. 224. (u)  
 GROTIUS commentar. ad Matth. XXV. 33. (w) Com-  
 mentar. in Psalm. CXX. (x) Deuter. XXVII. 12 13.  
*Si transiveritis Jordanem, hæc tribus stabunt in monte*  
*Garizim, ut benedicant Populo: Simeon, Levi, Juda,*  
*Isaschar, Joseph & Benjamin. Ille vero ad execratio-*  
*nem stabunt in monte Hebal: Ruben, Gad, Aser, Se-*  
*bulon, Dan & Naphtali.* Confer. Deuter. XI. 29. Unde  
 & illud postmodum a Josua observatum esse legimus Jos.  
 VIII. 33 34.





etiam ex usu & consuetudine aliarum gentium. Verum mittimus plura, quum ex adductis constet, Dexteriorem locum ab antiquissimis temporibus plerisque populis, Judæis imprimis atque Romanis potiorē & honoratiorem fuisse sinistro, quod nobis hic probandum erat.

## §. X.

Nihilo tamen minus hoc ipsum in dubium vocatum est a quibusdam Theologis Ecclesiæ Romanæ, idque non tam ut faciliorem *Sessionis Christi ad Dextram Patris* tentarent explicationem, quam ut stabilirent primatum Pontificis Romani. Observatum scilicet fuit in prisceis Pontificum sigillis, quibus munita sunt ipsorum diplomata & aliis picturis antiquis Pauli imaginem plerumque dextro, Petri contra sinistro loco poni. Itaque ne videretur Paulo hoc modo major quam Petro deferri auctoritas, quidam adfirmare ausi sunt, majorem apud antiquos illi fuisse delatum honorem, quem collocaverint ad latus sinistrum, quam quidem illi cui permiserint Dextrum. Primus cui hoc in mentem venit, fuit ANTONIUS NEBRISSENSIS, qui elegantiores literas in Hispania instauravit & Cardinali Ximenio, Archi-Episcopo Toletano fuit a consiliis in adornando opere Biblico Complutensi. Numquid, inquit ille, (y) *tanquam in potiori loco?* (Paulus Petro conspicitur Dexter) *Abst, ut Apostolorum Principi, quivis alter præferatur. Nam quid sibi vult gladius ille, quem Paulus habet strictum, nisi quod est Petri comes, stipator atque satelles?*

## §. XI.

ANTONII hæc sententia licet nova & prorsus aliena, nacta tamen est suos in Ecclesia Romana defensores. Cardina-

(y) In Quinquagen. Cap. XXXIX.





dinalis BARONIUS, quem sequuntur CABASSUTIUS, PALLACIUS, alique eruditi, illam non tantum suam facit, sed & duobus potissimum argumentis ex antiquitate petitis ulterius probare satagit. Primum desumit ex *Ἀποθεώσεσσι*, solemnī illo Romanorum ritu, quo Imperatores demortuos in Deos referebant & divos appellabant. (z) Refert scilicet HERODIANUS, (a) ex quo idem exscripsit BARONIUS, (b) Imaginem defuncto Imperatori similem imponi lecto sublimi & eburneo, a cujus *leva parte* sedeat totus Senatus atris amictus vestibus; a *Dextra* vero Matronæ, quas virorum aut Parentum dignitas honestet. Nam apud Romanos, addit BARONIUS, *pars sinistra melioris est auspicii, ac proinde dignior habetur*. Quam in rem citat quoque PLUTARCHUM (c) & VARRONEM (d) In perlustrando priori nihil reperi, quod sententiam BARONII posset juvare, VARRONEM vero, cujus Librum *de Lingua Latina* non licuit inspicere, nihil contra unanimum Scriptorum Latinorum dixisse confido. Conjeci tamen postea respexisse BARONIUM ad quæstionem illam, quam PLUTARCHUS movet dicto loco: *Quare in auspiciis Aves sinistræ pro faustis habeantur apud Romanos, contra quam apud Græcos?* Videntur hoc ipsum innuere verba BARONII: *apud Romanos pars sinistra melioris est auspicii*. Idem etiam alibi confirmasse lego VARRONEM (e) addita simul hujus rei ratione. Exstat locus apud FESTUM: (f) *A Deorum sede quum in Meridiem spectes,*

(z) Vid. LACTANTIUS Div. Instit. Lib. I. cap. XV. quæque ibi notavit KIRCHMANNUS. (a) Lib. IV. cap. 2. qui solus ex Veteribus hunc ritum accurate exponit. (b) *Annal.* Tom. II. ad ann. CCXIII. n. 6. (c) In *Quæstionib. Roman.* (d) *de Lingua Latin.* Lib. VI. (e) *Epistol. quæst.* Lib. V. (f) *Voc. Sinistra.*





species, ad sinistram sunt partes mundi exorientes, ad Dextram occidentes, factum arbitror, ut sinistra meliora auspicia quam dextra esse existimentur. Sane auguria sinistra apud Romanos fuisse lata & prospera, Dextra non item, dubium nullum est. (g) Verum ex ritu illo, quem observabant Romani in captandis auguriis nihil prorsus hic probat BARONIUS. Illius rei ratio enim petenda est ex diversa contemplatione plagarum cœlestium. Prosperum omnibus augurium erat, quod eundem cum sole ortum habebat, quia *lucis & motus principium* (h) ab illa parte esse credebant, & κατὰ τὴν τῶν ἀνθρώπων ὑπόληψιν τιμιωτέρα ἐστὶν ἢ ἀνατολὴ τῶν ἄλλων μερῶν τῆς κτίσεως, secundum opinionem hominum præstantior est oriens aliis Creaturæ partibus; (i) Malum omen vero cunctis erat, quod ab occasu veniebat. Græci itaque, qui se in exercitiis Religiosis convertere solebant versus Septentrionem, ortum necessario a Dextra, occasum a sinistra habebant. Sufficit eam in rem clarissimum HOMERI testimonium: (k)

ἔστ'

- (g) PLAUTUS Epid. Act. II. Scen. 2. *Liquido exeo auspicio: avi Sinistra.* CICERO de Div. Lib. II. 43. *Fulmen omnibus rebus auspiciū habemus, si sinistrum sit.* ibid. 82. *Ita nobis sinistra videntur, Græcis & Barbaris dextra meliora.* add. BARTHIIUM ad Statii Thebaid. Lib. III. pag. 807. seq. THYSIUM exercit. XIX. Miscellaneor. *Observe tamen infelicia omina ipsis in universum sæpe Sinistra dicta esse, a quacunque demum cœli parte venerint.* Testis est CICERO de Div. L. II. VIRGILIUS Eclog. 1. *Sæpe sinistra cava prædixit ab ilice cornix.* (h) ARISTOTELES de Anim. Lib. II. cap. I. confer. G. J. VOSSIUS de Idololatr. Lib. II. cap. 41. ALEXANDER AB ALEXANDRO Genial. Dier. Lib. V. cap. XIX. quæque ibi annotarunt viri docti in edit. Lugdun. Batav. 1673. (i) JUSTINUS MARTYR Respons. CXVIII. ad Orthod. (k) Iliad. 12. v. 239. 240.





Ἔστ' ἐπὶ δεξιῇ ἴωσι πρὸς ἥω τ' ἡελιόντε,

Ἔστ' ἐπ' ἀριστερᾷ τοίγε, ποτὶ ζόφον ἡρόεντα.

*Sive ad dextram vadant versus auroram & solem,*

*Sive ad sinistram versus occasum obscurum.*

Contra vero Romani obversi in Meridiem, ubi sedem Deorum credebant, ortum a sinistra, occasum habebant a Dextra. Docet hoc supra citatus VARRONIS locus. Sed clarius adhuc PLINIUS: (l) *Læva prospera existimantur, quoniam læva parte mundi ortus est.* Senferunt ergo idem utrique Romani & Græci, diverso licet modo loquuti, eademque auguria Græci *Dextra*, Romani dixerunt *Sinistra*. (m) Novi quidem rem ab aliis aliter concipi, prolixas vero nostræ explicationis exhibere vindicias hujus loci non est. Contra BARONIUM ex dictis collegisse sufficit, nullam prorsus esse ipsius objectionem, neque ulla ratione ad hanc quæstionem pertinere, quod Romani observarunt in captandis auguriis.

### §. XII.

Solvendus adhuc esset HERODIANI locus (n) quem potiori jure nobis opponeret BARONIUS. Ille enim expresse narrat in consecratione Imperatorum, Senatum Romanum occupasse locum *sinistrum*, Matronas vero, quæ inferioris conditionis erant, *Dextrum*. Ἐν μὲν τῷ λαίῳ μέρος, πᾶσα ἡ σύγκλητος, — ἐν δὲ τῷ δεξιῷ, γυναῖκες πᾶσαι &c. Certi quidem, quod hic reponam, nihil habeo, aliquam tamen solutionem suppeditare forsan possent, quæ præcedenti §. dicta sunt. Inter alia testimonia produximus etiam illud JUSTINI MARTYRIS: (o) Κατὰ τὴν

C

(l) Hist. Natur. Lib. II. cap. LIV. (m) Confer. RUBEI not. in Virgil. Ecl. I. & IX. (n) Lib. IV. cap. 2. (o) Respons. CXVIII. ad Orthodox.





τὴν τῶν ἀνθρώπων ὑπόληψιν τιμιώτερα ἐστὶν ἢ ἀνατολὴ τῶν ἄλλων μερῶν τῆς κλίσεως. Addemus hic quæ sequuntur: διὰ τῆς ἐν τῷ καιρῷ τῆς προσευχῆς νέουμεν πρὸς ἀνατολὴν πάντες. — ἡ γὰρ ἀνατολὴ ὡς τιμιώτερον μέρος τῆς κλίσεως, εἰς προσκύνησιν Θεῷ ἀφώρισται. *Opinione hominum præstantior est oriens aliis creature partibus. Eam ob rem precationis tempore vultu ad orientem omnes convertimur.* — *Oriens enim ut præstantior creature pars ad precationem Dei est destinata.* Confirmat idem CRATIUS in Chirone:

Ἄγε δὴ πρὸς ἑὸν πρῶτον ἀπάντων ἴσω,  
καὶ λάμβανε χερσὶ σκίνον μεγάλην,  
χέε τὰδε. τὸ ὕδωρ ἐκ τῶν κρατήρων χέε.  
*Age vero ad auroram primum omnium confiste,  
Et cape manibus juncum magnum,  
Funde hæc: aquam ex crateribus funde.*

VIRGILIUS quoque (p) Reges sacrificantes introducit spectantes versus orientem: *Illi ad surgentem conversi lumina solem.* Ubi SERVILIUS: *Non utique nunc solem orientem dicit, jam dudum enim dies erat, sed disciplinam caeremoniarum sequutus est, ut orientem spectare diceret eum, qui esset precaturus.* Evincunt hæc veterum testimonia, quorum quædam debeo SCHEDIO, (q) in precationibus & cæteris ritibus sacris peragendis hoc observatum fuisse semper, ut se converterent versus orientem. Jam vero Romani, qui in caeremoniis religiosis faciem vertebant in Meridiem, ubi sedem Deorum esse credebant, ut s. præcedenti visum est, Orientem habebant ad sinistram, occasum ad Dextram. Quæ si referamus ad ea, quæ HERODIANUS narrat, solutio in promptu erit. Ita enim

(p) Æneid. XII. (q) Libr. de Dis. German. Syngrammat. II. cap. XXX.



enim Senatus Romanus, qui Imperatorem demortuum, nunc Deum esse pronunciabat, eumque simul tanquam talem venerabatur, occupavit *locum Sinistrum*, non quia fuit honoratior *Dextro*, sed quia ex gentium consuetudine novi Dei Majestas poscebat, ut in adoratione versus partem mundi orientem se converteret, quam in precationibus *Sinistram* habebant. Matronæ vero manebant *ad Dextram*, quia non illarum, sed Senatus erat novum consecrare Deum. Pertinet huc aliquo modo illud CAL-  
LIXENI RHODII in reb. Alexandr. τοῖς μὲν ἐν κατοικοῦ-  
νοῖς περὶ τῆς ἡλίου δυσμᾶς ἐναγίζομεν τοῖς δὲ θρανίοις ὑπὸ τὴν ἑω  
τῆς ἡλίου ἀνατέλλοντος ἱερέυομεν. *Vita defunctis circa occasum  
solis, (qui Romanis Dexter erat) parentamus: at cœlesti-  
bus Diis auroræ tempore, sub exortum solis, (qui Roma-  
nis Sinister erat) sacrificamus.* Similiter Vetus Pindari  
SCHOLIASTES (r) quondam usitatum fuisse scribit:  
κατὰ τὰς ἀνατολὰς ἱερᾶργεῖν τοῖς θεοῖς, ἀλλὰ πρὸς δυσμᾶς τοῖς  
ἡρώεσσιν. *Versus orientem sacra facere Diis, versus occiden-  
tem Heroibus.* Ergo hoc quoque observandum erat in  
colendo novo Imperatoris Numine. Ita quidem mihi vi-  
detur posse solvi & explicari HERODIANI locus. (s) Suf-  
ficit non everti hac objectione nostram sententiam, quæ  
nititur certissimis supra citatis argumentis. Qui contra-  
riam cum BARONIO sententiam defendit JOH. GOROP.  
BECANUS (t) ad hunc HERODIANI locum ne quidem  
provocat, sive quod eum latuerit, sive quod nihil præ-  
sidii in eo invenerit, quum tamen multa alia testimonia  
ex priscis Scriptoribus, speciatim OVIDIO congerat; sed  
quæ omnia nihil prorsus probare fuisse docuit JUSTUS

C 2

LI-

(r) ad Isthm. IV. (s) Lib. IV. cap. 2. (t) Hieroglyph Lib.  
III. pag. 41, seq.





LIPSIUS (u) & multa alia loca VALERII, PLUTARCHI, SÜETONII, SALLUSTII imo & ipsius OVIDII in contrarium produxit. Ex quibus omnibus satis constare arbitror, frustra esse BARONIUM & omnes illos, qui ANTONII fabulam ex antiquitate, vel Romanorum aliqua consuetudine se tuituros sperant. (w)

## §. XIII.

Sed videamus alterum argumentum BARONII (x) Desumpsit illud ex Sessionis ordine, qui observatus est in Synodo Chalcedonensi, atque in illius actis ita describitur: *Residentibus magnificentissimis & gloriosissimis Iudicibus & amplissimo Senatu in medio ante cancellos Sanctissimi Altaris; & in leva quidem parte sedentibus Sanctissimis & Reverendissimis Episcopis & Vicariis Deo amicissimis, Leone Episcopo prisce urbis Romæ & Anatolio Religiosissimo Archi-Episcopo Constantinopolitane Regiæ Civitatis, & Maximo Religiosissimo Episcopo Antiochiæ. — Dextra vero parte similiter consistentibus Dioscuro Religiosissimo Episcopo Alexandrino, & Juvenali Episcopo Hierosolymorum. &c.* Hæc quum de situ & Sessionis ordine in Synodo Chalcedonensi disposita inveniantur, pergit BARONIUS (y) & haud dubie ex antiquo & usitato rerum ordine, nempe quod factum Patres scissent in Nicæano Concilio, Constantinopolitano pariter & Ephesi-  
no

(u) Elector, Lib. II. cap. 2. (w) Confer. complures alii recentiores, qui sententiam nostram vindicarunt & innumera ex antiquis Scriptoribus in hanc rem congesse-  
ra ex antiquis Scriptoribus in hanc rem congesse-  
argumenta, DOUGETÆUS in Analect. Sacris part. I. excurs. 98. part II, excurs. 83. MASSON in histor. critic. Reip. literar. Tom. I. pag. 65. seq. & alii. (x) Annales Tom. III. ad ann. CCCXXV. n. 57. 58. (y) loco citato.



„no, quis non intelligit locum sinistrum ab illis sanctio-  
 „rem ac digniorem esse existimatum? Rem paucis com-  
 plectar & BARONIO opponam saltem responsionem LÆ-  
 LII BISCIOLE, (z) qui & ipse Ecclesiæ Romanæ addi-  
 ctus fuit. Ille quamvis novam hanc sententiam, quæ Si-  
 nistram præfert Dextræ, ut ingeniosam laudet, eandem  
 tamen omni fundamento destitutam esse judicat, & post-  
 quam alia argumenta in contrarium produxerat, hic spe-  
 ciatim BARONIO respondet: *Ex hoc ritu antiquo, ut est  
 in prisco Ecclesiæ Romanæ ordine, sedebant ea locali di-  
 spositione, ut intransibiles quidem Ecclesiam Episcopi essent  
 ad Sinistram, Presbyteri ad Dextram, sed quando Pon-  
 tifex sederit, & ad eos respexerit, Episcopos ad Dex-  
 tram, Presbyteros contineret ad Sinistram.* Si urgeas in  
 gratiam BARONII, Romanum quoque Episcopum, quod  
 legitur in actis, cum reliquis sedisse ad Sinistram in Syno-  
 do Chalcedonensi, valet tamen responsio BISCIOLE.  
 Nam intransibiles quidem Romanus & ceteri Episcopi te-  
 nuere sinistram, sed versa facie, si rationem habeas *San-  
 ctissimi Altaris in medio ante cancellos collocati*, illius la-  
 tus dextrum clausere Episcopus Romanus, Constantino-  
 politanus, Antiochenus, &c. Sinistrum, Alexandrinus,  
 Hierosolymitanus &c.

## §. XIV.

Possent, quæ hætenus diximus, pluribus confirma-  
 ri, nisi abunde hoc jam fecisset BASNAGIUS (a) qui ex  
 MARCELLINI Chronico, (b) Actis Synodi Constantino-  
 politanæ, (c) aliisque monumentis Ecclesiasticis contra-

C 3

rium

(z) Horar. Subseciv. Tom. II. Lib. II. cap. 5. (a) In Annalib.  
 Polit. Ecclesiasticis ad ann. Dom. XXXIII. §. 164. (b)  
 pag. 51. (c) VI. act. 1.





rium adversus BARONIUM probat. Prætereunda vero non sunt, quæ de hac controversia, quam hætenus examinavimus, habet Cardinalis BELLARMINUS, acerrimus Ecclesiæ suæ defensor & propugnator. (d) Transfit & hic in sententiam ANTONII NEBRISSENSIS, ne ex eo, quod in sigillis & picturis antiquis Paulus obtineat locum dextrum, Primatui Pontificis Romani quid decedat. „Olim observatum fuisse, ait, (e) ut quum duo „simul incederent, senior & honoratior ad *levam* esset, „junior autem *latus ei dextrum clauderet*, & non nihil præcederet in signum obsequii; unde tales etiam *Laterones* & contracte *latrones* dictos putat, tanquam qui *Dextrum latus* Nobiliorum defensionis causa *tegerent*, quum tamen *Latrones* potius a Græco *λατρεύειν*, quod est *servire*, nomen habere certum sit, quod hinc etiam promiscue dabatur Militibus. (f)

## §. XV.

Hinc jam credibile esse conjicit BELLARMINUS, (g) „in sigillis & picturis antiquis Paulum ut juniorem & auctoritate minorem collocatum esse ad Dextram Petri, ut „illum ferme totum tegat. Quod autem postea ordo „fuerit immutatus, hoc ex imperitia factum videri, quia „forsan existimarent, hoc fieri ob honorem Pauli. Verum hæc omnia lubrico, imo nulli, fundamento niti, ex iis, quæ hætenus dicta sunt, satis patere arbitror. Accedit, quod BELLARMINUS hoc loco aperte loquatur pugnan-

(d) De Roman. Pontifice Lib. I. cap. XXVII. (e) BELLARMINUS loc. citat. (f) PLAUTUS in Milit. A. I. Sc. IV. v. 75. *Rex Seleucus me opere oravit maximo, ut sibi Latrones cogerem & scriberem.* (g) De Romano Pontif. Lib. I. cap. XXVII.



pugnancia. Quod enim nunc per errorem factum esse ait, prius a Veteribus consulto observatum dixerat, addita ratione: ut ex duobus summis Apostolis (sunt hæc ipsa BELLARMINI verba (b)) modo unum, modo alterum anteponerent, atque ita significarent, hos vel pares esse inter se, vel certe ignorari uter alteri præset. Caterum quod attinet ad locum EUSEBII, (i) quem in illam sententiam citat BELLARMINUS, quæ sinistram præfert dextræ, & in quo legitur Constantinum obeuntem provinciam cum Seniore Augusto, ad ipsius Dextram incedisse, ex eo nihil plane probatur. Patet hoc ex ipsis EUSEBII verbis, quæ manca citantur a BELLARMINO: Summo in honore apud supra dictos Imperatores erat Constantinus. Cujusmodi nos quoque cum vidimus, quum per Palestinam provinciam transfret una cum Seniore Augusto: ad cujus dextram assistens, cunctis, qui videndi desiderio tenebantur, præstantissimus adparuit. Quum igitur locus dexterior, Constantino concessus, esset argumentum summi honoris, quem illi conferebat Augustus, evidens est, quam male hinc suam sententiam probet BELLARMINUS.

## §. XVI.

JANSENIUS GANDAVENSI, (k) ESTIUS, (l) & alii pariter accedunt sententiæ ANTONII. Novam rationem addit AMAMA: (m) Cor, inquit, magis vergit ad sinistram. Unde sinistra quibusdam gentibus honoratior fuit. Persæ quos honorare volebant, collocabant ad sinistram, tanquam cordi viciniore. Reperio idem apud  
ALE-

(b) Loco citato. (i) De vita Constantini Lib. I. cap. XIX.

(k) In Harmon. (l) Commentar. in Marc. (m) Commentar. in Psalm. CIX. v. 22.





ALEXANDRUM AB ALEXANDRO, (n) qui postquam apud plerasque alias gentes Dextram in honore habitam esse docuerat, addit: *Refert tamen Xenophon, Cyrum singulari prudentia viros adhibitos convivias, quo honoratius exciperentur, in sinistra locare solitum, eamque partem, velut cordi affinem, digniorem duxisse.* Aliam tamen hujus rei rationem lego apud XENOPHONTEM; (o) *Ad cœnam, inquit, invitati quum venissent, non fortuito unumquemque collocabat, ἀλλ' ὃν μὲν μάλιστα ἐτίμα, παρὰ τὴν ἀριστερὰν χεῖρα, ὡς εὐεπίβλευτοτέρας ταύτης ἔσης, ἢ τῆς δεξιᾶς· τὸν δὲ δεύτερον παρὰ τὴν δεξιάν, τὸν δὲ τρίτον πάλιν παρὰ τὴν ἀριστεράν, τὸν δὲ τέταρτον παρὰ τὴν δεξιάν· καὶ ἦν πλείονες ὦσιν, ὡσαύτως.* Sed quem honore maximo dignabatur, ad lævam, quod hæc insidiis obnoxia magis sit, quam quidem dextra. secundum ab hoc ad dextram, tertium rursus ad lævam, quartum ad dextram: ac si plures etiam essent, eadem ratione illos collocabat. Sed vero nihil hinc decedit sententiæ nostræ. Nam & XENOPHON hujus rei mentionem facit, tanquam novæ & non usitatæ; & non nisi in convivio Cyrum hoc observasse ait, addita simul ratione, ut illos cordi suo cariores esse indicaret & propterea locum sinistrum tanquam tutiorem concederet. Mansit tamen similis in oriente consuetudo, atque etiam nunc apud Turcas obtinet. Narrat hoc BUSBEQUIUS, (p) eandemque fere, quam XENOPHON hujus rei rationem „affert. Hanc scilicet partem honestare gladium, & qui „sit in parte dextra, quodammodo gladium habere, sub „manu ejus, qui sinistrum latus claudit, illum vero gla- „dium

(n) Genial. Dier. Lib. II. cap. XIX. (o) Cyropæd. Lib. VIII. pag. 220. edit. Francof. 1596. (p) Epistol. I. de Leg. Turcica.





„dium gestare liberum & expeditum. Quæ satis conveniunt cum illis, quæ ex ANTONIO NEBRISSENSI supra (q) citavimus. Tradit quoque BESOLDUS, (r) Mahometem docere, omnes Alcorano obtemperantes, Deo charos esse, & in ultimo Dei iudicio ab ipsius *Sinistris* collocatos iri, quia apud Deum *sinistrum latus in maiore sit honore*, ob eamque rationem Turcas etiam nunc omnes, illis, quibus reverentiam debent vel exhibent, offerre sinistram. Refert quoque PAULUS VENETUS (s) de solemnibus Imperatorum conviviiis „Mensam cæteris „sublimiorem ad aquilonarem portæ partem poni. Ad „eam sedentem Imperatorem vertere faciem versus meridiem, a cuius *Sinistra* sedeat Regina major, uxor prima, a *Dextra* Filii & cæteri de ipsius prosapia.

## §. XVII.

Missa vero hac Cyri Turcarumque consuetudine, quæ sententiæ nostræ nihil derogat, satis superque probatum existimamus, plerisque reliquis populis, Judæis imprimis atque Romanis, quorum exemplum huc maxime pertinet, manum latusque dextrum potius & honoratius fuisse sinistro. Quare nisi alia sint argumenta, quibus evinci & stabiliri queat Pontificis Romani primatus & Sedis Romanæ auctoritas, obest magis quam prodest illius causæ, quod in monumentis antiquis Paulus Petro conspiciatur Dexter. Fuimus in hac quæstione investiganda paulo prolixiores, quia hoc nobis exigere videbatur locutionis Metaphora, quam illustrandam suscepimus. Proximum nunc est, ut explicemus, quo sensu Deo tribuatur *Dextra*.

## D

## §. XVIII.

(q) §. X. huj. Dissert. (r) In consider. Sect. Saracen. pag. 10,  
(s) De regionib. Orientalibus Lib. II. cap. XIII.





## §. XVIII.

Deus quum sit merus Spiritus, evidens est, illi nec *Dextram* convenire nec *Sinistram*. Illa proinde Scriptura loca, quæ *Dextra* Dei mentionem faciunt, interpretanda sunt, ut Theologi loquuntur, Θεοπροπῶς, modo qui Deum deceat. Solet enim Deus hac ratione nostra imbecillitati consulere, & terminis hominibus notis nos instruere de rebus divinis. *Manus* igitur quemadmodum sæpius in Scriptura occurrit, tanquam symbolum potestatis: (t) ita *Manus Dextra*, quæ vulgo potiori robore pollet, idem majori emphasi exprimit. Unde facile intelligimus, *Dextram Dei* in Scriptura notare Ipsius robur & potentiam summam. SUIDAS: Δεξία κυρίου ἡ ἀνωθεν ῥοπή καὶ ἡ ἀγαθὴ ἐνέργεια παρὰ τῇ Θεῷ γραφῇ. *Dextra Domini: Supernum ac Divinum auxilium & bona efficacia in Divina Scriptura.* Eadem habet THEODORITUS, (u) neque multum abludit illud DAMASCENI: (w) Δεξιὰν Θεὸς νοῶμεν τὴν ἐπὶ τοῖς αἰσίοις αὐτῷ βοηθεῖαν· ἐκ τῆς καὶ ἡμᾶς μάλλον ἐπὶ τῶν ἐνσχηματικῶν καὶ τιμιωτέρων καὶ πλείους ἰσχύως δεικνύων, τῇ δεξιᾷ κέχρηται. *Per Dextram Dei intelligimus auxilium ejus in prosperis: eo quod & nos in rebus pulchrioribus, & pretiosioribus, & majori robore indigentibus, Dextra utimur.* Constat idem ex plurimis Scripturæ locis, quæ passim obvia sunt, quæque hic potissimum valent, quia Scriptura optime ex Scriptura explicari potest.

## §. XIX.

- (t) Job. V. 20. Psalm. XLIX. 16. LXXXIX. 49. Esaj. XLVII. 14. Osee. XIII. 14. (u) in Psalm. XIX. (w) Lib. I. Orthod. fid. cap. XIV. (x) Exod. XV. 6. Psalm. CXVII. 16. CXXXVIII. 6. Esaj. LXII. 8. Marc. XIV. 62. Actor. V. 31.





## §. XIX.

Video tamen plures Patres in ea fuisse sententia, per *Dei Dextram* in sacris literis significari ipsum Dei Filium. Testimonia hujus rei habes passim obvia in scriptis CYRILLI ALEXANDRINI. Δεξιά τῆ Θεῆ καὶ πατρὸς, Τίς, δι' ἧς τῶν ὅλων κρατεῖ, καὶ οἰονεῖ τὸ παντὸς καταδράσεται, καὶ Θεοπρεπῶς ἐργάζεται, καλῶν τὰ ἔκ ὄντα πρὸς γένεσιν, καὶ τοῖς ἤδη γεγενομένοι τοῦ εὖ εἶναι διανέμων. *Dextra Dei & Patris est Filius, qua in res universas imperium habet & quasi universa comprehendit & Deo convenienter operatur, ea, quæ nondum existunt, producit & creans, productis vero jam & creatis bene esse distribuens.* (y) Et alibi de Filio Dei: (z) Δύναμις ἐστὶ πατρὸς καὶ πανθενὴς δεξιά, δι' ἧς τὰ πάντα ἐργάζεται. *Est potentia Patris & fortissima Dextra, per quam omnia operatur.* Et iterum de Filio Dei alio loco: (a) πάντα ἐνεργεῖ, καὶ αὐτὸς ἐστὶν ἡ τῶ τέκοντος δεξιά πανθενὴς καὶ ἀλκιμωτάτη. *Omnia efficit & ipse est Patris fortissima & robustissima Dextra.* PROTOGENES Episcopus Sardicensis: (b) Ἐώραν ἡ γραφὴ δεξιὰν καλεῖν τὸν υἱὸν τῆ Θεῆς. *Solet Scriptura Dextram vocare Filium Dei.* LEONTIUS Casareæ Cappadociæ Episcopus: (c) Ἐσωσεν αὐτὸν ἡ δεξιά αὐτῆς, ἀντὶ τῆς, ὃ υἱὸς αὐτῆς. *Servavit illum Dextra ipsius, hoc est, Filius ejus.* AMBROSIIUS: (d) *Manus est, quæ operatur pariter atque dispensat divina Mystera, cujus vocabulo non dedignatus est se Dei Filius declarari, dicente Davide, Dextra Domini exaltavit me.*

D<sub>2</sub>

Con-

(y) Lib. III. Glaphyr. in Genes. pag. 76. (z) CYRILLUS ALEXANDRINUS in cap. LII. Jesajæ. (a) Idem in cap. LV. Jesajæ. (b) In Concil. Nicæn. part. II. cap. XX. pag. 132. (c) Ibidem. (d) Hexaëm. Lib. VI. cap. IX.





Conveniunt cum his, quæ habet CHRYSOSTOMUS: (e) *Filius Dei vocatur βραχίων, ὅτι ὁμοεστὸς ἐστὶ τῷ πατρὶ, brachium, quia ejusdem cum Patre est essentie.* Et EUSEBIUS: (f) βραχίονα δὲ τῶ Θεῷ μὴ ἄλλον εἶναι τῶ λόγῳ, καὶ τῆς σοφίας, καὶ αὐτῶ τῶ κυρίου, ὃς ἐστὶν ὁ Χριστὸς τῶ Θεῷ, νόμιζε· τῷτο γ' ἐν ἐκ πολλῶν παραστήσαι ραῖδιον· ἔχεις δὲ καὶ ἐν ἐξόδῳ τὸν Ἰσραὴλ βραχίονι Θεῷ ρυθύνοντα τῆς ὑπ' Αἰγυπτίους δουλείας· αὐτὸν δὲ ἐκείνον τὸν βραχίονα τῶ Θεῷ τὸν ἀναφανέντα σωτῆρα τῶ πάσαι λαῶ, πᾶσι τοῖς ἔθνεσιν ἀποκαλυφθήσεσθαι, ὡς ἂν πρὶν ἐπικεκρυμμένον, ἢ παρῶσα σημαίνει προφήτεια. *Brachium vero Dei neminem alium esse existimes, quam verbum & sapientiam & ipsum Dominum, qui est Christus ille vel unctus Dei. Id autem ex pluribus demonstrari facile potest. Habes vero in Exodo Israël brachio Dei liberatum ex Ægyptiaca servitute. Illud ipsum autem brachium Dei, Salvatorem populi olim, qui adparuit, revelandis omnibus gentibus, quasi prius absconditum, præsens Prophetia (Jesaj. LII. 10.) significat. Non negamus quidem posse in quibusdam S. Scripturæ locis per Dextram Dei intelligi Filium Dei; sed vero hanc interpretationem nullum hic locum habere, res ipsa loquitur; siquidem Filius Dei, qui ad Dextram Dei sedere dicitur, expressis verbis ab eadem distinguitur. (g)*

## §. XX.

Licet autem Deo in sacris sapius tribuatur *Dextra*, nusquam tamen tale quid legimus de *Sinistra*. In causa est, quod *Dextra* in hominibus vulgo sit robusta & agilis, *Sinistra* non item. Quare quum in Deo nullus sit poten-

(e) Homil. XVIII. Tom. V. (f) Demonstrat. Evangel. Lib. VI. p. m. 189. (g) Confer. RIVETUS Commentar. in Psalm. CX.



potentia defectus, legimus tantum de Ipsius Dextra. Adscribit quidem HUGO DE S. VICTORE (b) Deo Dextram æque ac Sinistram, & per illam *eterna*, per hanc vero *temporalia bona* intelligi ait. Verum licet illud non improbemus, satius tamen esse arbitramur, loqui cum Scriptura, quam novas istiusmodi excogitare Metaphoras non præeunte Scriptura, quæ sapius Dextræ Dei, nunquam vero meminit Sinistræ.

## §. XXI.

Quod monuimus de sensu improprio *Dextræ Dei*, de *Sessione* quoque dicendum est. Quando enim Christum *sedere* audimus *ad Dextram Dei*, non intelligendus est aliquis corporis Christi in cælo situs, vel, ut AUGUSTINUS (i) loquitur, *membrorum positio, flexura membrorum nostrorum similis*. Ita enim parem erraremus cum illis errorem, qui Deo corpus & membra humana affingunt. Res ipsa loquitur, neque poscit adeo operosam probationem, maxime quum Scriptura hanc ipsam *sessionem* Christi explicet alibi (k) *per præsentiam ad Dextram Dei*. Multæ vero & variæ sunt hujus phrasæ significationes improprie, quas tamen omnes ad præsens argumentum aliquo modo posse referri videbimus.

## §. XXII.

Ita primo in quavis lingua notissimum est, *sedere* & *sessionem* non semper denotare notam illam membrorum flexuram, sed sumi etiam sapissime pro continua in eodem loco commoratione. Vocem Hebræam שׁב *mul- tis in locis* (l) hanc explicationem poscere certum est, in

D 3

qui-

(b) Comm. in Ps. David. cap. XVI. (i) De Fid. & Symbol. cap. VII. (k) Rom. VIII. 34. 1 Petr. III. 22. (l) Levit. VIII. 35. Judic. V. 17. 1 Reg. II. 38.





quibus vertendis LXX. semper adhibent græcum καθίζειν. In his ergo locis *Session* idem est, quod *mansio*, *habitatio*, *commoratio* &c. Observat AUGUSTINUS: (m) *Sedes dici, ubi habent commorationem, quorum sedes sunt; habitatio quippe hoc nomen accepit.* Confirmatur idem ex plurimis Novi Testamenti locis, (n) in quibus græcum καθήμεαι & καθίζω, quod proprie *sedere* est, eodem modo verti debet. Plurima hujus significationis exempla prostant etiam apud Scriptores profanos. (o) Potest hac significatio ad præsens argumentum *de Sessione Christi ad Dextram Patris* suo modo referri. Occupavit enim nunc Christus suas in cælo mansiones, ibique semper habitat.

## §. XXIII.

Patres primitivæ Ecclesiæ eodem modo τὸ *sedere* & *sessionem*, quæ in Scriptura Deo tribuitur, explicasse legimus. BASILIUS: (p) οἶμαι τὴν μὲν εἰσιν καὶ τὴν κατὰ δρῶσιν τὸ πᾶν τῆς φύσεως καὶ εἰσιν ὑποφαίνειν, καθὼ καὶ ὁ Βαρὺχ τὸ ἀκίνητον καὶ ἀμετάθετον τῆς τῆ Θεοῦ διεξαγωγῆς ἐνδεικνύμενος, ἔφη τό, σὺ καθήμενος εἰς τὸν αἰῶνα, καὶ ἡμεῖς ἀπολλύμενοι εἰς τὸν αἰῶνα. Arbitror *stationem* & *confessum Naturæ firmitatem ac stabilitatem* significare, juxta quem tropum & Baruch indicare volens Deum immobilem & immutabilem semper esse ait: (q) *Tu sedes in æternum & nos perimus in ævum.* CHRYSOSTOMUS: (r) Ἐὰν ἀναγνῶς καὶ

(m) Quæst. XXIV. ad Levit. (n) Matth. IV. 16. XXVI. 36. Luc. I. 79. XXI. 35. XXIV. 49. Act. XVIII. 11. (o) CICERO ad Attic. Lib. XII. ep. 44. LIVIUS Lib. II. cap. XII. LUCANUS pharsal. Lib. II. v. 473. (p) Libro de Spirit. S. cap. VI. in fin. (q) Cap. III. 3. (r) Homil. CVI.



καὶ ἀνάσης περί Θεῶν, ὅτι καθήται, τὸ ἐδραῖον καὶ ἀσάλευτον ἐκ-  
 λάμβανε τῆς μακαρίας φύσεως. *Quando legis & audis de*  
*Deo, quod sedeat, stabilitatem & immutabilitatem Divi-*  
*næ & beatæ illius Naturæ intellige.* CYRILLUS ALE-  
 XANDRINUS: (s) Ἡ καθίσις ἢ ἐπ' αὐτῷ (Θεῷ) τὴν οἰονεὶ  
 βεβαιότητά τε καὶ ἐν ταυτότητι τῶν ἀγαθῶν ἰδρυσίν τε καὶ διαμο-  
 νὴν ἔεικεν ὑποδηλῶν. *Sessio quando Deo tribuitur, stabili-*  
*tem quasi & eandem in bonis constitutionem & perennita-*  
*tem subindicare videtur.* Eadem fere alibi idem Doctor  
 repetit. (t) GREGORIUS NYSSENUS (u) affirmat  
 eum, qui dicat τὸ Θεῶν καθήσθαι indicare hac loquutione  
 κατιδρῦσθαι ἀμετατέως τὸ Θεῶν ἐν τῷ ἀγαθῷ *immutabiliter*  
*in bono constitutum esse Numen Divinum.* Fuit & apud  
 quasdam Gentes τὸ sedere & sessio figura hieroglyphica  
 perpetuitatis ac æternitatis. De Nasamonibus populo  
 Africæ supra Syrtes (w) referunt, illos non tantum se-  
 dentes expirare consuevisse, sed & hoc situ mortuos suos  
 humasse, ut significarent, eos nunc æternitatem & lon-  
 gam illam a laboribus cessationem adiisse. (x) Aliarum  
 quoque Gentium Reges demortuὶ ex eadem ratione in  
 subterraneis Mausoleis *sedentes* componebantur. Roma-  
 nis ipsis usitatum erat Imperatorum fusiles statuas *sellis*  
 effulcire, eorumque imagines hac figura imprimere Num-  
 mis. Quod vero ALPHONSUS TOSTATUS (y) de Ju-  
 daeis scribit: *Cadavera sepeliebantur sedentia, tanquam*  
 in

(s) Commentar. in Jesaj. cap. VI. (t) Commentar. in Jo-  
 hann. c. XII. (u) Orat. in S. Stephan. (w) STRABO  
 Lib. XVII. PLINIUS H. N. Lib. V. cap. 5. (x) ALE-  
 XANDER AB ALEXANDRO Genial. Dier. Lib. III. cap.  
 7. add. quæ ibi notavit TIRAQUELLUS. (y) Com-  
 mentar. in Genes. cap. XXII.





in Cathedra, non meretur fidem. Docuit potius BuxTORFFIUS: (z) *Si corpus stans aut sedens sepulchro indatur, hoc mortuo ignominiosum videri.*

## §. XXIV.

Quod si nunc hæc referre velimus ad nostrum, de quo agimus, argumentum, *sedere* hic quoque significat perpetuam & non turbatam Salvatoris nostri in cælo habitationem. Non solum autem illa habitatio est perennis, sed & quieta, siquidem *sedere* in Scriptura (a) & alibi notat etiam *quietem* & *tranquillitatem*. Quare etiam quidam ex Judæorum commentatoribus vaticinium Davidis: (b) *sede a Dextris meis* &c. de Messia explicant: *quiesce, quia nondum est tempus revelationis tue*. Quam interpretationem aliquo modo sequitur GROTIUS, (c) sed prolixè a CALOVIO, perpetuo ipsius censore reprehenditur. (d) Dicendum tamen non est, nullam prorsus per gloriosam illam Christi sessionem denotari quietem. Paulus enim (e) Sessionem Christi ad Dextram Patris, non solum *opponit* muneri ipsius mediatorio, quod in terris obierat, sed & ipsum ibi *expectare* ait subjectionem hostium. Christus igitur postquam exantlavit peccati pœnas, nunc gloriosa quiete fruitur. „Cui nondum „peractus labor, inquit magni nominis Theologus, (f) „eundum currendum est, quiescere saltem non licet, aut „si aliquando virium refocillandarum ergo quiescat sedens, „non tamen diuturna est sessionis quies. Surgendum „rursus

(z) In Synagog. Judaica cap. XLIX. pag. 704. (a) Genes. XVIII. 1. Mich. IV. 4. Zachar. I. 11. Johann. IV. 6. (b) Psalm. CX. 1. (c) In annotat. ad loc. cit. (d) In Commentar. ad Psalm. CX. 1. (e) Hebr. X. 12, 13. (f) JAC. ALTINGIUS in Hebr. I. 3.



„rursus & ad laborem redeundum est. Sed non sic Christus. Consummavit ille opus suum & nihil a se ipso in carne agendum reliquit imperfectum. Ita licet illi sedum capere, neque ulla ea propter potest nasci surgen- di necessitas. Gloria proinde ejus constans est, non deponenda rursus, occultanda, imminuenda, sed quæ perseverat semper in suo gradu.

## §. XXV.

Sedere vero etiam in oppositione ad *stare* est honoris argumentum. *Illi enim secundum nostram consuetudinem*, inquit MAXIMUS, Episcopus Taurinensis, (g) *confessus offertur, qui aliquo opere perfecto, honoris gratia promeretur ut sideas.* Notat igitur sedentis dignitatem, quem reverentur, qui adstant. (h) Unde & angeli vocantur *העומרים*, (i) quippe qui omnes sunt *λεωτεγγι- κὰ πνεύματα spiritus ministrantes.* (k) Sub Veteri Testamento Sacerdotes Levitici, qui typi erant Christi nondum consummati, opere suo fungebantur *stantes.* His vero opponitur Christus, tanquam consummatus Sacerdos *in throno sedens.* (l) Frequens vero etiam in Scriptura est illa significatio *sedere*, qua transfertur ad significandam potestatem regiam. (m) Quæ significatio in præ- senti quæstione *de Sessione Christi ad Dextram Dei*, inprimis locum habet. Docet hoc expressis verbis Paulus, quando vaticinium Davidis: *Sede ad Dextram meam* &c. interpretatur: (n) *oportet ipsum regnare, donec ponantur*  
E *Ipsius*

(g) Homil. I. in Pentecost. (h) 1 Reg. X. 8. Dan. VII. 9. 10. Ester. I. 14. (i) Zachar. III. 7. (k) Hebr. I. 14. (l) Zach. VI. 13. (m) Deuter. XVII. 18. 1 Reg. I. 30. 1 Reg. II. 24. Psalm. XLVII. 9. Jerem. XIII. 13. (n) 1 Cor. XV. 25.





*Ipsius inimici scabellum pedum ejus.* Dubium itaque nullum est, quin ipsum verbum sedere hoc loco Regni significet potestatem, ut loquitur HIERONYMUS. (o) Adde hic insignem locum CALLIMACHI, (p) qui de Apolline canit:

τὸν χορὸν ὡς πολλῶν, ὅτι οἱ κατὰ θύμον αἰδεῖται,

τιμήσεται δύνатаι γὰρ, ἐπεὶ Δίῃ δεξιὸς ἦσθαι.

*Cætum hunc Apollo, quum ex sententia ejus cecinerit, Honore afficiet: Potest enim, quum a Jovis dextra sit collocatus.*

A re non aliena sunt, quæ ad hunc locum notavit ILL. EZECHIEL SPANHEMIUS, quare etiam integra ipsius verba annectere non dubito. „Præclarus utique locus, „inquit, & dictum Sacrarum Literarum ac Apostolici Symboli: *Sedet ad Dextram Dei Patris*, egregie illustrans & „explanans; adeo ut iisdem *sedendi ad Dextram* adhibitis „hic similiter a Poëta vocibus, *non honoris saltem prærogativam*, aut *Mansionem augustam*, sed *potestatem* etiam „denotari, aperte innuat hic locus. Quod ipsum in eadem sacri fœderis *sedendi ad Dextram* locutione observarunt prisca Ecclesiæ Doctores. Unde conjiciendi foret locus, hausisse id forte CALLIMACHUM sub Ptolemæis, & quidem Alexandriæ, ac in eorum, ut volunt, Regia viventem; hausisse inquam ex lectione Veteris Fœderis, in Græcam tum linguam ibi a Senioribus conversi, siquidem Psalm. CX. 1. similis, ut notum, ac inde in Novo Fœdere sacrata occurrit loquutio. Idem fere dudum ante CALLIMACHUM habet PINDARUS, nisi quod non Apollini, sed Minervæ hoc tribuat, ut ex eodem

(o) Commentar. in Ephes. I. 19. (p) Hymn. in Apollin. v. 29. 30.



„dem id refert ARISTIDES (q) Πίνδαρος δ' αὖ Φησὶ, δεξιὰν  
 „κατὰ χεῖρα τῷ πατρὶ αὐτὴν καθέζομένην, τὰς ἐντολὰς τοῖς θεοῖς  
 „ἀποδέχεσθαι. *Pindarus vero ad Dextram Patris eam di-*  
 „*xerat sedere, mandata Diis perferenda accipientem.* Ne-  
 „que minus memoranda, quæ continuo addit de eadem  
 „Dea, non minus Sacris Literis de vero & unico Dei Fi-  
 „lio consona. Ἄγγελος μὲν γὰρ ἐστὶ μέγας ἢ δὲ τῶν ἁγγέ-  
 „λων, ἄλλοις ἄλλα ἐπιτάττει, πρώτη παρὰ τῷ πατρὶ παρα-  
 „λαμβάνουσα. *Est enim ipsa Angelis major, eorumque*  
 „*aliis aliud imperat, quod a Patre primum acceperit.* Qui-  
 „bus addi insuper potest, id quod de eadem Jovis Filia  
 „alibi habet CALLIMACHUS, (r) omnia nempe eandem  
 „perficere, quæ velit. Soli enim e filiabus Jovem con-  
 „cessisse: πατρώια πάντα φέρεσθαι, quæ sint Patris omnia  
 „ferre, aut quod de eadem dixit HORATIUS: (s)

*Proximos illi (Jovi) tamen occupavit  
 Pallas honores.*

Hactenus SPANHEMIUS. (t) Volunt tamen alii HORA-  
 TIUM dicto loco respicere ad Templum Jovis Capitolini,  
 in quo tres erant Cellæ, Media Jovis, Dextra Minervæ,  
 sinistra Junonis.

#### §. XXVI.

Quoniam vero cum Regia potestate conjuncta sem-  
 per est auctoritas judiciaria, ad illam quoque significan-  
 dam τὸ sedere transfertur. Ita non tantum Deo tanquam  
 Supremo omnium Judici tribuitur *Sessio*, (u) sed etiam  
*sedere* dicuntur homines, judicia exercentes. Moyse, (w)

E 2

Pila-

(q) Hymn. in Minerv. p. 19. (r) Hymn. in ejus Lavacr. v.  
 131. (s) Lib. I. Od. XII. (t) In not. ad Callimachi  
 Apollin. v. 29. 30. (u) Psalm. IX. 5. 8. 9. Psalm. XXIX.  
 10. (w) Exod. XVIII. 13.





Pilatus, (x) Judæorum Synedrium, (y) Ananias Pontifex. (z) Constat idem ex communi loquendi usu. Sæpiissime enim adhibetur verbum *sedere*, ubi de judiciis vel judicibus sermo est; (a) unde & appellabantur *Dies Sessionum*, quibus Prætores jus dicebant. Sed non opus est de his verba facere, quæ cuivis nota sunt. (b) Observamus saltem, hanc quoque significationem referendam esse ad *Sessionem Christi*, de qua loquimur. Data enim ipsi est omnis potestas in cælo ac in terra, (c) imo Pater neminem amplius judicat, sed omne iudicium tradidit Filio. (d) Unde AUGUSTINUS: (e) *Sedere quod dicitur, non membrorum positionem, sed judiciariam significat potestatem, qua illa Majestas nunquam caret, semper digna dignis tribuendo.*

## §. XXVII.

Ex illis, quæ hætenus dicta sunt, satis ut puto, refellitur absona & perversa illorum interpretatio, qui hanc *Sessionem Christi ad Dextram Patris* proprie intelligebant, nullamque in hac loquutione admittebant Metaphoram. Errabant istum errorem seculo quarto post natum Christum Ἀνθρωπομορφίται, qui Deum esse putabant Ἀνθρωπόμορφον; sive *qui*, ut cum AUGUSTINO (f) loquar, *Deum sibi fingeant cogitatione carnali in similitudinem imaginis*

corru-

- (x) Johann. XIX. 13. (y) Actor. VI. 15. (z) Actor. XXIII. 3. (a) CICERO orat. pro Cluent. cap. XXXVIII, *Seditine iudex in C. Fabricium?* & pro Rabir. Post. cap. V. *Modo vos iidem in A. Gabinium iudices sedistis.* POLYBIUS de virtut. & vitiis: Ἐς δὲ τῶν ἐπαύριον καθίσταντες δικαστὰς, τῷ μὲν Σωκράτους καθίστασαν θάνατον. (b) Vid. G. J. Vossius in Instit. orator. Lib. VI. cap. XI. §. 11. (c) Math. XXVIII. 18. (d) Joh. V. 22. (e) De fid. & Symbolo cap. VII. (f) De Hæres. ad Quod vult Deum, cap. L.





*corruptibilis hominis.* Habebat ista hæresis auctorem *Audæum*, qui & *Audius* vel *Odius* nominatur a quibusdam, natione Syrum, (g) a quo simili nomine dicebantur Ἀυδianoί. Ille, ut refert *THEODORITUS*, (h) Ἀνθρωπόμορφον ἔφησε τὸν Θεόν, καὶ τὰ τῆ σώματος αὐτοῦ περιέτεκε μέρια, τὰ συγκαταβατικῶς παρὰ τῆς Θείας εἰρημένα γραφῆς ἀνοήτως νενοηκώς. *Deum humana esse forma docuit & corporis illi membra tribuit, stulte intelligens, quæ cum demissione quadam seu condescensu in divina Scriptura dicta sunt.* (i)

## §. XXVIII.

Licet autem absurdus hic Antropomorphitarum error & crassa nimis inde orta sententia, de *Sessione Christi ad Dextram Patris* talis sit, quæ sponte corruat, jam olim tamen in confutando isto errore occupati fuere priuscæ Ecclesiæ Patres. *ATHANASIUS*: (k) Δεξιὰν ἀκέρων τῆ Θεῆς, μὴ τόπῳ καὶ σχήματι δόξης περιγράφει· δεξιὰ γὰρ καὶ ἀριστερά τῶν περιγραφομένων ἐστίν· ὁ δὲ Θεὸς ἀπλᾶτος καὶ ἀόριστος καὶ ἀσχημάτιστος καὶ ἀπεριγραπτός ἐστι. *Dextram Dei quum audis, ne locos vel figurarum positiones circumscribe. Dextrum enim & sinistrum sunt finitorum, quæ circumscribi possunt: Deus autem increatus est & infinitus, cui nulla adscribi forma & qui nec ipse circumscribi potest.* *AUGUSTINUS*: (l) Credimus, quod sedet ad *Dextram Dei*. Nec ideo tamen quasi humana forma circumscriptum esse *Deum* arbitrandum est, ut de illo cogitantibus dextrum aut sinistrum latus animo occurrat: aut id ipsum, quod sede-

E 3

re

(g) *THEODORITUS* Hist. Eccl. Lib. IV. cap. IX. (h) *Hæc.* Fabul. Lib. IV. cap. X. (i) Plura legi possunt apud *SOCRATEM* Hist. Eccl. Lib. VI. c. VII. *SOZOMENUM* H. E. Lib. VIII. cap. XI. &c. (k) In Dict. & Interpr. Parabolar. quæst. XLV. (l) De fid. & Symbol. cap. VII.





re Pater dicitur, flexis poplitibus fieri putandum est, ne in illud incidamus sacrilegium, quo execratur Apostolus eos, qui commutarunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem corruptibilis hominis. Tale enim simulacrum nefas est Christiano in Templo collocare, multo magis in corde nefarium est, ubi vere est templum Dei, si a terrena cupiditate atque errore mundetur.

## §. XXIX.

Docent hæc & alia, quæ mittimus, Patrum testimonia, in illis locis, ubi Scriptura de Deo rebusque divinis κατ' Ἀνθρώπων humano more loquitur, animam a rebus corporeis penitus esse avocandum, neque quidquam hic cogitandum ad modum creaturarum. Perabsurde igitur LIPPMANNUS Judæus ex hac Sessione Christi ad Dextram Dei format objectionem contra Sacrosanctam Trinitatem: Si Trinitas Personarum, inquit, (m) simul unitatem involvit, adeoque alter est in altero, fieri sane non potest, ut unus sit in latere socii sui, & quidem Dextro. Supervacaneum foret multa hic reponere. Sufficit contra Judæum aliosque carnales homines ostendisse, non esse hoc intelligendum proprie, sed figurate, & modo, qui Deum deceat. Notari hic etiam aliquo modo meretur SEBAST. MICHAELIS Dominicanus, qui in hac loquutione, quæ proponit nobis Christum sedentem ad Dextram Dei ullum esse tropum negat. Negamus, inquit, (n) ullam esse figuram aut Metaphoram in his verbis, habita ratione lingue Apostolorum, qui erant Syri vel Hebræi. Et notandum, quæ loquutio est propria in una lingua, esse Metaphoricam in altera; unde hæc verba Metaphorica sunt latine sive gallice, sed non Hebraice. Hebraice enim unum idemque verbum

(m) Ad Psalm. CX. 1. (n) In Respons. ad Joh. Gigordum cap. I.





verbum æque significat quiescere, habitare, regnare, sedere &c. Sed magis proprie unum quam alterum. Verum nil nisi λογισμαχία foret, si multum in contrarium disputare vellemus. Quamvis enim primo intuitu durum imo falsum videatur, omnem hic negare Metaphoram: auctor tamen quæ dixerat, ipse quasi revocat, quando vocem Hebræam יושב magis proprie sedere, quam quidem regnare &c. significare concedit. Itaque quale discrimen illi hoc loco est inter loquutionem magis & minus propriam, tale nobis est inter loquutionem propriam & Metaphoricam. Nemo autem qui vel aliquam literarum Hebræarum cognitionem habet, nescit, verbum יושב in pluribus Scripturæ locis proprie & propriissime esse sedere, ab hac propria significatione vero transferri ad non proprias, quas hæcenus perlustravimus.

## §. XXX.

Hæc nobis de loquutionis Metaphora monuisse sufficiant. Adgredimur nunc illustrationem ipsius argumenti. Primo quidem ex illis, quæ hæcenus dicta sunt, evidens est, Sessionem ad Dextram esse summæ potestatis argumentum, qualis in omni emphasi intelligi potest de persona illius, cui hujusmodi sessio tribuitur. Scriptura igitur, quando de Filio Dei, in gloriam evecto, dicit, quod *sedeat ad Dextram Patris*, in genere innuit, summam & vere divinam Ipsi nunc competere potestatem, quæ mente potest concipi. Poscit hoc non solum Metaphoræ ratio, qua Deus in verbo suo usus est, ut supra fusius probavimus, sed & ipsa Scriptura sæpius eodem modo rem interpretatur. In illustri illo Davidis vaticinio, (o) de quo in principio mentionem fecimus, *Sessionem*

(o) Psalm. CX, 1.





nem ad Dextram Dei Regnum absolutum & dominium supremum significare, dubium nullum est. Nam ita Paulus, Spiritu Dei plenus, hoc vaticinium interpretatus est, quando, quod David dixerat: *Sede a Dextris meis* &c. explicat: *oportet ipsum βασιλεὺς regnare, donec cunctos hostes supposuerit pedibus suis.* (p) Similis, nec minus augusta est illa predictio, quam Spiritus S. per Zachariam Prophetam edidit de Viro משיח, quem in folio Jehovæ *sedurum & dominaturum* prädicit. (q) Sessio ergo in folio Jehovæ simul involvit dominationem. Clarius sub Novo Testamento *Sessio Filii ad Dextram Patris* ubique proponitur tanquam argumentum potestatis summæ & prorsus divinæ. Nam quod Christus Judæorum iudicibus, ipsum condemnantibus, denuntiavit, quod mox visuri sint Filium hominis καθήμενον ἐκ δεξιῶν τῆς δυνάμεως *sedentem a Dextris virtutis*, (r) illud inprimis videtur significare, fore, ut iniqui isti Iudices, quem prius infontem morti & cruciatibus tradiderant, hujus criminis mox sentirent & experirentur Vindicem virtute & potentia divina polentem, atque dirissima adversus parricidas judicia exercentem; quod & eventus comprobavit. הַנְּבוֹרָה notum illo tempore Nomen Dei erat, quod proinde δύναμις vertitur ab Evangelistis. *Sessio igitur ad dextram* δύναμις nulla alia est, quam quæ alibi vocatur *Sessio ad Dextram Dei*, nisi quod hinc intelligamus Christum sedentem ad Dextram Dei pollere potentia & virtute vere divina. Summam hanc Christi potentiam & potestatem verbis valde significantibus exprimit Paulus. *Filius, inquit, (s) quum sit effulgentia gloriæ & character ὑποστάσεως Dei, sustineat-que*

(p) 1 Corinth. XV. 25. (q) Zachar. VI. 13. (r) Math. XXVI. 64. Marc. XIV. 62. Luc. XXII. 69. (s) Hebr. I. 3.



que omnia verbo suo potenti, purificatione peccatorum nostrorum per se ipsum facta, ἐκάθισεν ἐν δεξιᾷ τῆς μεγαλωσύνης ἐν ὑψηλοῖς, sedit ad Dextram Majestatis in Excelsis. Tantum profecto verborum phrasiumque pondus & emphasis, quantum poscit rei excellentia & magnitudo Christi Sessionem ad Dextram Dei hinc denotare evincitur summam & ineffabilem illam majestatem & gloriam, qua Deus ipse inter consummatos Spiritus conspicuus est. Ita ergo dubium nullum superest in explicando vel illustrando argumento de Sessione Filii ad Dextram Patris, ante omnia hoc esse supponendum, denotari hac phrasi summam & supremam Mediatoris consummati Majestatem & Potestatem. Quare cuncti, qui hujus articuli interpretationem aliter instituunt, vel errant, vel rei pondus non attingunt.

## §. XXXI.

Errant igitur primo illi, qui vel Sessionem Filii ad Dextram Patris nihil aliud esse statuunt, quam *Ipsius in cælos adscensionem*, atque ita duas veritates inter se distinctissimas miscant & confundunt, vel per Sessionem ad Dextram Dei intelligunt *duarum naturarum in Christo unionem hypostaticam*. Absonam esse utramque interpretationem, patet ex modo productis Scripturæ testimoniis, quæ longe aliud notare certum est. Ad hæc notissimum est, Symbolum non minus quam Scripturam ipsam Christi adscensionem in cælos & Sessionem ad Dextram Dei apertis verbis distinguere, & passim docere, Christum *seu* el adscendisse, ad Dextram Dei vero sedere *semper*. Altera sententia, quæ Sessionem Christi ad Dextram Dei explicat per *duarum naturarum unionem hypostaticam* iisdem argumentis refellitur. Pugnaret sane cum omni Scriptura, Christum jam in utero Matris, in Cruce & Sepul-

F

chro





chro exaltatum fuisse ad Dextram Dei, quod tamen factum fuisset, si Sessio Christi ad Dextram Dei esset ipsa naturarum unio, quippe quæ nunquam interrupta fuit. (t) Hi ergo quemadmodum a veritate recedunt, ita illi pondus & emphasin hujus locutionis non assequuntur, qui *Sessionem Filii ad Dextram Patris* explicant de æterno gaudio & felicitate, qua Christus nunc postquam passiones gravissimas mortemque ipsam acerbam & ignominiosam exantlavit, in cœlis fruitur. Ita rem sapius in suis scriptis interpretatur AUGUSTINUS: (u) *Ad Dextram intelligendum est dictum esse in summa beatitudine, ubi iustitia & pax & gaudium est. Quid enim est Dextra Dei, dicit alibi, (w) nisi illa æterna ineffabilisque felicitas? quo pervenit Filius hominis etiam carnis immortalitate percepta. Salus temporalis (x) & carnalis in Sinistra est, salus æterna cum Angelis in Dextra est. Ideo jam in ipsa immortalitate positus Christus, dicitur sedere ad Dextram Dei. Non enim Deus in se ipso habet Dextram aut Sinistram, sed Dextra Dei dicitur felicitas illa, quæ quoniam ostendi non potest, tale nomen accepit. Verum, quod jam diximus, non exhaurit hæc AUGUSTINI interpretatio sensum atque pondus phrasæ. Summa Christi gloria conjuncta quidem est cum ineffabili gaudio, sed eo ipso non absolvitur. Eodem enim gaudio, licet gradu differat, fruuntur consummati in cœlo Spiritus, quorum tamen nulli Deus unquam dixit: *Sede ad Dextram meam.* (y)*

§. XXXII.

- (t) Plura de his videantur apud RIVETUM Commentar. ad Psalm. CX. (u) AUGUSTINUS de fid. & Symbol. cap. VII. (w) Idem contra Sermon. Arianor. (x) Idem in Psalm. CXXXVII. (y) Hebr. I. 3.





## §. XXXII.

His ergo missis, hoc tanquam primum & præcipuum supponimus *Sessione Christi ad Dextram Patris* in genere significari *summam potestatem*, quod ex illis Scripturæ locis, in quibus mentio fit *hujus Sessionis*, & quorum quædam produximus, clare satis colligitur. Hic vero duo sese nobis offerunt quasi dubia. Primum est, quod Scriptura non semel significet *Christum hanc potestatem demum accepisse post suam consummationem*. Alterum est, quod tribuatur Filio locus *dexterior* tanquam *honoratior*. Utrumque merito nuncupo dubium. Quum enim apud nos omnes in confesso sit, Jesum Christum, Salvatorem nostrum, esse verum, summum ac æternum Deum, sane, si respicias ad essentiam Divinam, dici non potest, accepisse Christum aliquid in tempore, quod ab æterno non habuerit. At vero nihilo minus ex Scriptura discimus, Christum demum consedisse ad Dextram Patris, postquam per passiones consummatus est. (z) Difficilius adhuc videtur examen ipsius Metaphoræ, quæ Christo tribuit locum Dextrum, qui inter homines consideratur ut potior & honoratior. Quam loquutionis emphasin in argumento de *Sessione Filii ad Dextram Patris* urgendam quoque esse, dubium nullum est. Sicut enim Deus, quando nobis proponit res divinas, terminos & loquutiones nobis notas ideo adhibet, ut illas, modo Deum decenti transferamus ad res divinas, & tale quid in Deo quæramus, quod cum nostris conceptibus aliquo modo conveniat: ratio nulla est, quare in hoc argumento hanc regulam tantum ideo vellemus negligere, quia alii quidam Interpretes illud hoc loco vel omittunt, vel omittendum statuunt.

F 2

tuunt.

(z) Philipp. II. 6 — 11. Hebr. II. 9. X. 12.





tuunt. Inter nos omnes autem notissimum est, illum, qui affidet a Dextris, licet nonnunquam in se spectatus altero potior & honoratior non sit, tamen tanquam talem considerari, maxime ab illo, cui Dexter affidet. Hac duo igitur, quæ ulteriorem elucidationem & explicationem poscunt, erunt præcipua sequentis tractationis capita.

## §. XXXIII.

Primo igitur explicandum erit, quo sensu Christus dici possit, summam hanc potestatem, quæ per *Sessionem ad Dextram Dei* indigitatur, accepisse demum *in tempore*, post suam in terris consummationem. Diximus enim hoc ideo videri posse *δυσνόητον*, quia Filius Dei, verus & æternus Deus, Patri par & æqualis gloriam summam, & quæ est vere Divina, non solum habuerit ab æterno, sed etiam cum Patre exercuerit ab omni ævo; quam proinde *adipisci* non potuit in tempore, facta demum peccatorum expiatione. Sunt, qui cunctas difficultates facile hic tolli posse putant, si *Sessionem Filii ad Dextram Patris* referant non ad Divinam, sed *humanam* Iplius naturam. Facile quidem hic sese expediunt Sociniani. Illi enim, quum Benedictum nostrum Salvatorem, verum esse Deum, eumque ante humanos suos natales extitisse prorsus negent, capitali huic errori patrocinari putant, quod summa hæc gloria Christo demum in tempore collata dicatur; quamvis se deinceps misere fatigent, in explicanda illa questione, quomodo Christo, ut homini, potuerit conferri gloria Divina. De quo infra dicemus pluribus. Sunt tamen & alii, qui, licet Jesum verum ac summum Deum nobiscum confiteantur, Illum tamen hanc suam gloriam & potestatem Divinam ideo in tempore consequutum esse sibi & aliis persuadent, quoniam illa tum demum *Nature humane sit collata*.

## §. XXXIV.





## §. XXXIV.

Avide hanc interpretationem arripuere Lutherani, quo tempore dogmati de *Consubstantiatione* in S. Cœna præsidium quærebant. Illi quum tuerentur corporalem aliquam Christi in Sacra Cœna præsentiam, nec tamen possent provocare ad fictum illud *Transsubstantiationis* miraculum, de quo gloriatur Ecclesia Romana, quippe quod cum reliquis superstitionibus pridem rejecerant: confugiebant ad *realem quandam proprietatem divinarum humane nature factam communicationem*, atque dum ubiquitatem Corporis Christi fingeant, ejus fundamentum in *unione hypostatica* collocabant; Alii vero, qui totam vitam Christi historiam, huic sententiæ repugnare animadvertiebant, eandem ex glorificatione derivabant, atque ita ex omnipræsentia Corporis Christi *realem & corporalem* in S. Cœna præsentiam satis defensam putabant. Sic enim *Sessionem ad Dextram ad humanam Christi Naturam* referebant, ut ex ea omnipræsentiam etiam Corporis Christi deducerent hoc vulgari argumento: „Ubicunque Dextra Dei est, ibi etiam est humanitas Christi: Dextra Dei vero est ubique; ergo & humanitas Christi. (a) Sed

F 3

his

(a) Hoc & alia istius generis sophismata jam illo tempore abunde satis explosa sunt a Theologis nostratibus BEZA, ZANCHIO aliisque. Fuere etiam in ipsa Ecclesia Lutheranæ, qui re probe perspecta, ultro facti sunt, nihil hic valere argumentum ex *Sessione Christi ad Dextram Patris* desumptum. Agnovere hoc Theologi Brunsvicenses in colloquio Quedlinburgensi, in quo anno MDLXXXIII. controversia de præsentia Corporis Christi agitata est. Plane nobiscum loquitur SCHEGGIUS in Libro *de una Persona & duabus Christi Naturis* pag. 60. seq. Theologus





his immorari piget. Quot enim sunt illorum, qui ex *Sessione Christi ad Dextram Dei* Corporis ubiquitatem probare contendunt, positiones, tot profecto sunt paralogismi.

## §. XXXV.

Ita primo non sequitur, hominem, qui sive per gratiam, sive in gloria apud Deum est, propterea esse ubique, licet illi præsens & cum illo etiam sit unitus, qui omnipræsens est. Deinde prorsus non sequitur, eousque se extendere præsentiam corporis, quousque se extendit potestas hominis. Itaque si vel ad solam humanam naturam referres summam illam Christi potestatem, quæ per Sessionem ad Dextram Dei indicatur, nondum tamen esset evictum, Corpus Christi esse omnipræsens. Nam neque *Dextra Dei* corpus est, quæ modo corporeo sit ubique, neque corpus est subiectum potestatis, sed Spiritus. Si ergo vel ponamus Divinam aliquam proprietatem communicatam esse humanæ Christi naturæ, quo jure dici posset, illam communicatam esse corpori? Deus enim Spiritus est. Cui itaque non competit *τὸ esse corporis*, ei nec competit *τὸ præsens esse corporeum*; Et vicissim, cui non competit *τὸ esse Spiritus*, ei nec competit *τὸ præsens esse modo spirituali*, neque ulla alia proprietas

gus primo Lutheranus, sed qui postea mutavit Theologiam cum Professione Medicinæ & Philosophiæ in Academia Tubingensi. Veteres Ecclesiæ Doctores nobiscum hac in parte sensisse ex illorum scriptis patet. Consuli possunt testimonia IGNATII *Epist. VII. ad Smyrnens.* AUGUSTINI *Tractat. LIX. in Johann.* Hieronymi *in exposit. Symboli ad Damasum.* CYRILLI ALEXANDRINI *Libro contra Antropomorphitas cap. XXII.* Clarissime THEODORITUS *Dial. II. &c. &c.*





tas Spiritus essentialis; cujus utpote mere *Spiritualis*, corpus certe capax esse non potest. Si itaque vel ulla proprietas divina communicari potuisset humanæ naturæ, illa profecto non in *corpore* sed in *Spiritu* quarendæ foret.

## §. XXXVI.

Verum nec illa communicatio proprietatum divinarum fieri vel *potuit* vel *debit*. Veteres Theologi seculi post natum Christum V. superstitiosos istiusmodi errores præscindebant terminis quibusdam negativis, qui facilius erroribus opponi poterant, atque duarum naturarum unionem in Christo factam dicebant ἀτρέπτως, ἀσυγχύτως, ἀδιαιρέτως & ἀχωρίτως, *sine conversione & confusione* contra EUTYCHETIS, *sine divisione & separatione* contra NESTORII errorem. *Hic* quia duas in Christo Personas concepisse dicitur, *solvebat*: *Ille*, quia non unam tantum in Christo admittebat Personam, sed duas naturas, Divinam & humanam in unam quasi coaluisse putabat, utramque *confundebat*. Recte igitur per illas vocolas rem explicarunt prisca Ecclesiæ Patres. Nullibi enim Scriptura docet, proprietates Divinæ naturæ in humanam esse transfusas. Tribuit illa quidem toti Personæ, Christo Θεανθρωπον utriusque naturæ proprietates, prædicatione non *directa* tantum, sed & *indirecta*, quando toti Personæ, ab una natura denominata, adscribit alterius naturæ proprietates; quemadmodum e. g. dicitur, Filium Hominis simul esse in cœlis ac in terra, Dominum gloriæ esse crucifixum, Deum suo sanguine redemisse Ecclesiam &c. Ex quibus tamen nemo colliget, proprietatem aliquam divinam communicatam vel collatam esse Naturæ humanæ, nisi qui simul adfirmare vellet, Divinam naturam factam esse corpoream.

## §. XXXVII.





## §. XXXVII.

Neque etiam per rerum naturam fieri potuit, ut *essentiales proprietates* unius naturæ conferrentur alteri, nisi dicas *essentiam unius naturæ* mutatam esse in *essentiam alterius*. Mutatio autem ut Divinæ in humanam naturam, sic humanæ in Divinam *impossibilis* est. Neque nos fidei analogia ad ejusmodi *impossibilia* fingenda cogit. Tantum enim abest, ut munus Christi Mediatorium requirat hanc proprietatum communicationem, ut illo Christus ne quidem fungi potuisset, nisi *verus* fuisset *homo*, fratribus suis, si peccatum excipias, in omnibus similis; qualem Ipsum etiam fuisse tota historia evangelica probat. Nulla etiam unio, licet arctissima, vel essentiarum confusione, vel proprietatum transfusione involvit, sed dicit saltem rerum diversarum ad se invicem *relationem*, quæ tum vocatur *hypostatica*, quando subjecta suis naturis distincta ita *uniuntur*, ut ad opus aliquod utrique commune peragendum, quodlibet conferat, quod suum est; unde etiam actiones suppositorum esse dicuntur.

## §. XXXVIII.

Itaque quum Divina Natura Filii Dei humanam assumserit in *unitatem Personæ* eum in finem, ut se sisteret nostrum Mediatorem & Salvatorem, unio illa maxime conspicitur in operibus, quæ hujus muneris partes sunt, in quibus, dum Divina Natura utitur humana tanquam instrumento, quælibet confert quod suum est; quare etiam Θεάνδρικά vel Θεάνθρωπα & Ἀποτελέσματα vocantur. Quoniam vero humana natura, ut fieret aptum instrumentum Divinæ, indigebat qualitatibus & perfectionibus, ad munus illud obeundum necessariis, eidem collata sunt χαρίσματα supra communem quidem hominum sortem, sed tamen naturæ humanæ congrua. Denique quum ad eadem



eadem opera utraque Natura, quod suum erat, conferret, ita ut utriusque Naturæ proprietates in illis essent conspicuæ, eadem toti etiam Personæ tribuuntur; quæ ergo est Idiomatum sive proprietatum non communicatio, sed communio.

## §. XXXIX.

Sicut autem opera illa theantrica requirebantur, tum ut salus nobis impetraretur per satisfactionem pœnalem, tum ut eadem nobis traderetur per illam, quam Filius a Patre accepit, ἐξουσίαν salvandi suos: ita etiam unio illa Personalis sive hypostatica, non solum in statu exaltationis, sed etiam exinanitionis erat necessaria. Ex quo evidens est, non posse per Sessionem ad Dextram Patris, quæ exaltationis est, intelligi unionem hypostaticam; neque etiam posse ex unione hac personali derivari quidquid gloriæ accessit humanæ naturæ ab exaltatione Personæ Salvatoris, sed ad Charismata referendum esse, quod fulgeat gloria supra omnes creaturas, quantum sol superat stellas, 1 Corinth. XV; Denique glorificatione humanæ naturæ non absolvi omnem illam Salvatoris nostri exaltationem. Sane majus aliquid significatur per Sessionem ad Dextram Patris. Denotat enim hæc gloriam illam & potestatem summam, quæ soli Deo propria est, quamque alii nec vult nec potest dare aut communicare. Competit tamen illa gloria Personæ Christī Θεανθρώπου, quum Divina Natura illam ostendat & exerceat etiam per humanam.

## §. XL.

His ita suppositis facile solvitur dubium illud, quomodo Filius Dei, qui erat ἐν μορφῇ Θεῆ, Verus scilicet ac Æternus Deus, tamen summam illam gloriam, quæ indicatur per Sessionem ad Dextram Patris, acceperit demum post suam in terris consummationem. Tunc enim

G

huma-





humana Natura per exaltationem Mediatoris ad maximam, cuius creatura compos fieri poterat, evecta est gloria, imo & perfectiones longe maiores, quam prius possidebat, consequuta est. Quum vero summa illa potestas esset Proprietas Divina, cuius humana natura, tanquam *subiectum recipiens* capax non erat, illius etiam collatio facta est Salvatori *quoad* Naturam Divinam. Huic autem non collata est nova aliqua perfectio, quod cogitare blasphemum esset, sed summa illius gloria, quam ab æterno habuerat, quæque per exinanitionem quasi obscurata & recta fuerat, tum rursus est manifestata, quando Mediator declaratus est Filius Dei *ἐν δυνάμει* Rom. I. 4. imo modo longe illustriori emicuit, quando virtute muneris & perfecti operis summam potestatem in suos, & propter illos, in omnes creaturas *quoad jus & usus plenitudinem* accepit. Tantum autem abest, ut hæc quasi nova gloria acquisitio summæ perfectioni essentiali aliquid derogat, ut potius eandem supponat & illustret. Quemadmodum enim nulla est essentialis perfectionis mutatio vel augmentum, quod Deus per creationem factus sit Dominus omnium creaturarum: Sic nec Filii divinis perfectionibus derogat, vel imperfectionis argumentum est, quod per Redemptionem factus sit suorum rerumque omnium Dominus; siquidem hæc non novæ perfectionis essentialis est acquisitio, sed tantum peculiaris, eam demonstrandi modus. Hæc omnia vero referimus non ad Naturam Divinam seorsim spectatam, sed ad Personam Christi *Θεανδρῶν*. Sicut enim gloria Divinæ Naturæ exinanita est per humanam, quando Deus suo sanguine redemit Ecclesiam: ita etiam eadem gloria manifestatur per naturam humanam exaltatam, ut quæ fuerat passionis, nunc sit gloriæ quoque *instrumentum*.

§. XLI.





## §. XLI.

Ita quidem solutum esset primum dubium, quod in quaestione de *Sessione Filii ad Dextram Patris* moveri poterat. Rem ipsam vero magis adhuc illustrabit sententia de *Sessione Christi*, quam infra exponemus pluribus. Alterum dubium nunc excutiendum restat, an scilicet & quo modo *Sessio ad Dextram honoris praelationem significet*? Ad hoc vero quum requiratur, ut intelligamus, qualis & quanta sit illa gloria & potestas, quæ per *Sessionem ad Dextram Dei* significatur, non alienum erit recensere varias Theologorum tum veterum tum recentiorum huius articuli interpretationes. Possunt illæ omnes in tres commodè dispesci Classes. Continebit prior explicationes illorum, qui hac Metaphora Christo putant tribui honorem & gloriam, quæ sit minor & inferior gloria Patris, post Deum tamen proxima. Tradet altera Classis alias illorum interpretationes, qui per *Sessionem Christi ad Dextram Patris*, Filii cum Patre æqualitatem significari volunt. Addet denique tertia Classis sententias illorum, qui ex hac Metaphora aliquam Filii præ Patre *prælationem* colligunt. Ad hæc ergo tria capita revocabimus varias illas & diversas Interpretum de *Sessione Christi ad Dextram Patris* sententias; post quarum perlustrationem & examen ultimo loco subjiciemus & prolixius exponemus illam sententiam, quæ sola rem secundum fidei analogiam explicare & omne nobis dubium tollere videtur.

## §. XLII.

Præmittimus hoc loco interpretamenta Socinianorum, tanquam qui maxime a vero recedunt, atque per *Sessionem Christi ad Dextram Patris* non intelligunt gloriam vere divinam, sed quæ sit longe alia & gradu inferior





rrior gloria & Majestate Dei. LUDOV. WOLZOGENIUS: (a) *Sede ad Dextram meam, i.e. esto mihi dignitate & potestate proximus. Similitudo sumpta est a Regibus, ad quorum Dextram proxime assidet hæres vel Princeps secundus a Rege. Habet eadem VOLKELIUS: (b) Sessionem a Dextris Dei Divini auctores Christo ideo tribuunt, ut eum primum supremumque post Deum locum tenere i.e. summum secundum Deum in omnes res creatas habere imperium doceant: sumpta translatione a terrenorum Regum consuetudine. Videtur & CRELLIUS (c) hanc sententiam reliquis omnibus anteferre. Fatemur quidem alios illorum aliter loqui. Tenendum tamen semper est, Socinianos, quacunque demum ratione fidei aliquem articulum explicent vel explicare videantur, interpretationem suam falsis superstruere principiis. Aliter igitur intelligendi sunt, qui in veritatibus, quas fundamentales nuncupant, nobiscum consentiunt, aliter Sociniani, qui nostræ salutis fundamentum evertunt; licet, si verba spectes, eadem sæpe dicere utrique videantur. Impia & blasphemica.*

- (a) *Commentar. ad Math. XXII. 44.* (b) *De vera Relig. Lib. III. cap. XXI.* (c) *Commentar. ad Hebr. I. 3.* „Potest hic quæri, ait, num Christus solius Dei Dexter, & quidem æquali gradu sedere dicatur, num vero respectu aliorum, qui veluti a Dei sinistris confidentes considerari possint, sic ut Deus quasi medius altiorque cunctis spectetur; non quod aliqui sint, qui a Dei sinistris pari, alioquin altitudinis aut sublimitatis cum Christo gradu, sedeant, sed quod assidere possint, vel saltem mente concipi. Si posterius hoc amplectamur, *Sessio ad Dextram Dei* significabit honorificentissimum altissimumque post Deum locum, quo excepto nullus eminentior ac sublimior esse & cogitari queat.



blasphema ipsorum hypothesis, qua Bened. nostrum Salvatorem *ψῖλον ἄνθρωπον* nudum esse hominem supponunt, hic ante omnia impugnanda esset. Verum quum illam Disputationem eo successu adversus hostes Divinitatis Christi a Theologis præstantissimis institutam & absolutam nos saltem sciamus omnes, ut Sociniani, nisi volentes obniterentur veritati, clarissimis Scripturæ testimoniis se suumque errorem vinci dudum passi essent: nos hoc loco ipsorum hypotheses tanquam falsas & confutatas mittimus, atque ex dictis saltem colligimus, esse unam omnium mentem in explicando hoc fidei articulo, quocunque demum modo vel loquantur, vel loqui videantur.

## §. XLIII.

Ita SOCINUS ipse, pessimæ hujus sectæ auctor, vel potius instaurator, mire, si verba spectes, a suis affectis dissentire videtur. Imo pertineret potius illius interpretatio ad ultimam classem, quæ ex *Sessione ad Dextram* aliquam colligit Filii præ Patre *prælationem*, nisi æstimanda esset interpretatio ex principiis male suppositis. Dabimus locum verbis SOCINI: (d) *Interrogatio.* „Sed an „non potest Nomine isto (*Christi*) significari Regnum, „non quod jam Christus re ipsa habeat, verum quod aliquando certo sit habiturus? *Responsio.* Nullo prorsus „modo, quum Scriptura testetur, Christum jam consedis- „disse in solio Patris sui, & ad Ipsius Dei Dextram esse. (e) „Quæ Sessio ad Dei Dextram expresse præterea supremam „illam potestatem, quam Deus non jam per se ipsum, „sed per Christum exerceat, nobis ob oculos ponit, ac „mirifice cum testimonio illo, jam a me explicato con-

G 3

„sentit,

(d) In Institut. Relig. Christianæ. (e) Apoc. III. 21. Rom. VIII. 34.





„sentit, quod Pater non iudicet quemquam, sed omne  
 „iudicium dederit Filio, ab eoque simul aperte, quid  
 „ipsa sit declaratur; si quis tamen sit, qui ipse per se non  
 „clare perspiciat, Dextram locum honoratiorem signifi-  
 „care. *Interrogatio.* Num igitur Christus in honoratio-  
 „re loco, quam ipse Pater nunc sedet? *Responsio.* Non  
 „quidem simpliciter, sed tamen aliquo modo, atque, ut  
 „loquuntur, secundum quid; quatenus scilicet, ut di-  
 „ctum fuit, jam non ipse Deus ex Persona sua, sed Chri-  
 „stus Ecclesiam gubernat, in eaque judicia divina exer-  
 „cet. Nam & Paulus Apostolus de Christo ita loquitur, (f)  
 „ac si nunc Deo subjectus non sit, sed Ipse Dei loco regnet;  
 „id quod similiter presentem ac veram Christi divinam &  
 „supremam in nos potestatem atque imperium declarat.  
 „Alia sacra testimonia missa facio de Christi summa illa  
 „potestate, (g) quæ ita expresse illam nobis proponunt,  
 „ut nulla ratione figurate accipi possint, vel cum veris  
 „Christi pro nobis ad Deum precibus, veroque ac pro-  
 „prio ipsius perpetuo Sacerdotio convenire. Illa enim,  
 „si non aliam ob causam, certe propter hæcenus a me  
 „dicta, ejusmodi esse, jam per se intelligere poteris.,  
 Hæcenus SOCINUS.

## §. XLIV.

Hanc Socini interpretationem si intelligas ex mente  
 auctoris convenienter reliquis ipsius hypothefibus, non  
 solum falsa est & pugnat cum ipsa doctrina SOCINI, sed  
 etiam in Deum blasphema. Falsum primo est, quod SO-  
 CINUS supponit, Christum, quem nos omnes verum ac  
 æternum Deum veneramus, meram esse creaturam, *Ψίλον*  
 Av-

(f) 1 Corinth. XV. 24. 28. (g) Math. XXVIII. 18. Ephes.  
 I. 22. Apoc. V. 12.



ἄνθρωπον, qui post mortem & adscensionem demum omnem illam Majestatem & Gloriam, quæ Ipsi in Sacris Literis tribuitur, acceperit, negatis & male detortis clarissimis Scripturæ testimoniis. Ineptit deinde SOCINUS & male huic suæ hypothefi consulit, quando fieri posse somniat, ut Deus ex homine faciat Deum, imo ipsi locum suum quodammodo cedat. Pugnat hoc cum doctrina ipsius auctoris, imo & cum omni sana ratione, quam tantopere urget evehitque SOCINUS. Denique in Deum blasphemus est, quia tribuit nudo homini gloriam & potestatem divinam, soli Deo propriam. (b) Talis enim hic intelligitur, quocunque etiam modo illam *secundum quid* explicare velit SOCINUS. Habes tamen in hac interpretatione SOCINI apertam male causæ confessionem, quando quo majorem agnoscit hanc potestatem, eo magis hypothefi suæ de Filio Dei mera creatura & nudo homine, ipse contradicit.

## §. XLV.

Fuere hinc inter ipsos Socinianos, qui hanc SOCINI interpretationem prolixè reprehenderunt. Ita CRELIUS (i) „absonum prorsus esse, ait, *Christum quodammodo honoratiore loco sedere, quam Patrem*, quum Pat-  
 „ter Christi Deus ac caput esse dicatur, & Christus im-  
 „perium ab illo acceperit, itaque illud administret, ut  
 „Deus per Ipsum omnia faciat ac regat. — „Et licet,  
 „pergit, oculis quibusdam *quodammodo*, aut *non reipsa*  
 „sententiæ durities emolliatur, tamen neutrum sufficere  
 „videtur. Prohibet enim Majestas Patris, quo minus  
 „*aliquo etiam modo Christum honoratiore, quam Patrem*  
 „*loco*

(b) Vid. Esaj. XLII. 8. (i) Commentar. in Hebr. I. 3.





„loco sedere dicamus. Habet eadem SLICHTINGIUS: (k) Non sequitur, inquit iste, Christum honoratiore esse in loco, quam Deum Ipsum. Deus enim absolute summus & altissimus est; nec similitudo nimis premenda est. Vides mire in hoc argumento explicando tergiversari Socinianos, quidquid vero proferant, falsum esse ideo, quia ex falsis atque impiis ipsorum deducitur principiis & hypothefibus. Sibi ergo habeant sua interpretamenta Sociniani.

## §. XLVI.

Sunt vero & alii, qui, licet in principiis, quæ Sociniani negant, nobiscum consentiant, tamen per Sessionem Christi ad Dextram Patris gloriam & maiestatem Filii tanquam gradu minorem & inferiorem a gloria Patris distinguui putant. Præsidium huic suæ sententiæ inde quaerunt, quod Metaphoræ rationem repetant a consuetudine Regum vel Principum, quibus hæres proximus vel alius in Regno Princeps affideat Dexter, qui deinde sequatur Sinister. Solent huc referre exemplum Filiorum Zebedæi, quibus, ut hunc honorem deferat, Mater Christum rogat. (l) Sed vero, quum Filius Dei priusquam exinaniretur, fuerit *ἐν μορφῇ Θεοῦ* imo *ὁὗτος Θεός*, (m) neque unquam in Sacris Literis consideretur tanquam minor vel inferior Patre, nisi cum respectu ad statum ejus humilem: nulla prorsus ratio est, quare Christo in Cælos rursus evecto non eandem gloriam eandemque dignitatem vellemus tribuere, quam habuit priusquam mundus hic existeret, quæ non est gradu minor vel inferior gloria Patris. Imo & ipsa Metaphora, qua Christus dicitur sedere

ad

(k) Commentar. in Rom. VIII. 34. (l) Math. XX. 21. adde quæ GROTIUS notavit ad h. l. (m) Philipp. II. 6.



ad Dextram Patris, hanc interpretationem videtur respue-  
re. 'Εἰ γὰρ ἐλάττωσιν ἤθελε δηλῶσαι, inquit CHRYSOSTO-  
MUS, (n) οὐκ ἂν εἶπεν ἐκ δεξιῶν, ἀλλ' ἐξ ἀριστερῶν, si innuere  
voluisset minorem esse, non dixisset a Dextris, sed a Sini-  
stris. Et sicut dignitatis gradus non est, addit MAXIMUS  
(o) Episcopus Taurinensis, ubi Divinitatis plenitudo est,  
ita ad Dextram sedet Filius, non quod præferatur Patri,  
sed ne inferior esse credatur. Exemplum Bathsebae, quam  
Rex Filius ad Dextram suam collocavit, (p) interpreta-  
tionem hanc non probat. Quamvis enim Rex esset Salo-  
mon, Matri tamen Dextrum locum *tanquam honoratio-  
rem* concessit. Neque multum juvat hanc sententiam,  
quod in Psalmis (q) Conjux Regis dicitur stare ad Ipsius  
Dextram. Nam & hic, *locus ad Dextram* consideratur ut  
*potior*. Quamvis enim sensus Psalmi mysticus agat pro-  
cul dubio de spirituali connubio, quod est inter Christum  
& Ecclesiam, atque ita nulla ratione possit adfirmari, Ec-  
clesiam Ipsi Christo aliquo modo præferri: hoc tamen  
conjugium Christi spirituale descriptum est verbis, a nu-  
ptiis temporalibus inter Regem aliquem & Reginam mu-  
tuatis, quæ an Salomonis fuerint, Philologis excutiendum  
relinquimus. Sicut ergo de multis aliis illo tempore usi-  
tatis ritibus in hoc nuptiali hymno mentio fit: ita & Con-  
jux Regia occupat locum a Dextris, *tanquam honoratio-  
rem*, quem Sponsus Sponsæ concedere solet. Denique  
petitio Filiorum Zebedæi, (r) de qua ab initio dicebamus,  
huc prorsus non pertinet. Si enim tres concipiantur se-  
dentes, Medium locum honoratiorem esse, novimus c-

H

mnes.

(n) Commentar. in Hebr. circa init. (o) Homil. de S. Pen-  
tecost. (p) 1 Reg. II. 19. (q) Psalm. XLV. 10. (r)  
Math. XX. 21.





mnes. At vero ubi Scriptura loquitur de Christo *sedente ad Dextram Patris*, nulla est mentio alterius, qui *ad Sinistram sedeat*. A plurimis hinc illa sententia, quæ Christum locum *ad Dextram* tanquam *secundum a Patre* occupasse statuit, rejicitur, & reprehendit speciatim COCEJUS (s) GROTIUM, (t) qui Davidis illud vaticinium: *Sede ad Dextram meam*, interpretatur: *a me secundus esto*, eique argumenta opponit.

## §. XLVII.

Pertinent quoque ad hanc classẽ, qui eo delapsi sunt, ut Metaphorã hanc, qua Christus dicitur *sedere ad Dextram Patris* vellent interpretari ex ordine, quo subsistit Sacrosancta Trinitas. Dicunt illi rem ita proponi, quasi Pater tanquam Primus & Princeps occupet locum medium, ut potiorẽ, Filium verò & Spiritum Sanctum ab utroque quasi latere ordine esse collocatos. CHASSANÆUS Parlamenti quondam in Gallia Præses rem ita concepisse videtur. *Quum tres sint Personæ*, ait, (u) *ratione Personæ sedebit Spiritus S. ad Sinistram Patris, eo quod Filius sedet ad Dextram, non quod unus altero sit Major, quia nulla hic majoritas aut minoritas, sed ut secundum sedes naturales, si essent tres æquales, qui vellent sedere in uno loco, unus esset in medio, & alii duo ad latera, unus ad Dextram & alter ad Sinistram*. Sed nimis crassus est iste conceptus, neque ullum in Scriptura fundamentum habet; quæ nullibi mentionem facit Spiritus Sancti *sedentis ad Sinistram Patris*, & Sessionem ad Dextram

(s) Commentar. ad Ephes. I. 20. (t) Commentar. ad Math. XXII 44 add. WOLZOGENII comment. ad d. l. eadem reperies utrorumque verba. (u) in Catalogo Gloriæ mundi part. II. consider. III.



tram Dei proponit potius ubique tanquam *καὶ ὅπου* & prærogativam solius Filii. Quare hanc interpretationem ut frivolam & Scripturæ contrariam rejicimus. Alii quondam observatum fuisse dicunt, ut Throni Regum in oriente plerumque essent Bilateres, (w) qui sedem habuerint non ad Dextram tantum, sed & ad Sinistram, utraque tamen sublimiorem & potiore fuisse Regis in medio loco sedem. Quam vero quidam ex hac observatione deducunt similem hujus articuli interpretationem, propter rationes jam adductas hic locum habere posse negamus.

## §. XLVIII.

Denique ad hanc sententiarum classem referendi etiam sunt quidam ex illis, qui sinistrum latus ut honoratius Dextro præferunt. „Quum apud nationes usitatissima sit consuetudo, inquit ANTONIUS NEBRISSENSIS (x) primus hujus commenti inventor, „ut, qui sedet five incedit ad Dextram alicujus, obtineat locum priorem, quid sibi vult, quod in Psalmo CX. legitur: „Sede a Dextris meis? Nam quum Psalmus ille in sensu „literali de Christo intelligatur, sintque verba Patris ad „Filium, quid incongruentius dici potest, aut quid magis indecorum, quam quod Filius priorem occupet locum? Neque solum hic, sed mille aliis in locis Scriptura testatur, Christum ad Dextram Patris sedere, qui „tamen Patri natura est æqualis, qua tamen Filius, & „qua homo est, cedere debuit Patri primam sedem. — „Ego vero, quum hanc ordinis sedendi indignitatem mecum reputarem, subiit mihi suspicio, alium fuisse apud „antiquos sedendi ordinem, quam qui sit nostris temporibus,

(w) Vid. LUD. DE DIEN ad Apoc. III, 21. (x) In Quinquagen. cap. XXXIX.





„ribus, ut videlicet, qui federet ad Sinistram, esset „potior eo, qui federet ad Dextram,„ Qui idem commentum defendendum suscepit J. O. H. GOROPHUS BECANUS, hic quoque ANTONII vestigia sequitur, & ex eo, quod Christus dicitur *federe ad Dextram Patris* colligit (y) *Deum Patrem Sinistrum uti honoratiorem assidere Filio.* Res ipsa docet, fieri aliter non posse, quin illi, qui Sinistram Dextræ præferunt, vel quondam prælatam existimant, ita sentiant. Quum autem ipsa hæc hypothesis & fundamentum hujus sententiæ jam supra (z) a nobis sit eversum, sponte quoque ruunt, quæ illi superstruuntur.

## §. XLIX.

Sequitur nunc altera Classis, quæ complectitur sententias illorum Interpretum, qui per *Sessionem ad Dextram Dei*, Filii cum Patre *omnimodam æqualitatem*, æqualem potestatem, æqualem gloriam, æquale imperium indicari existimant. Adoptarunt hanc interpretationem non solum nostræ, sed & reliquarum Ecclesiarum Doctores. CORNELIUS A LAPIDE (a) Christum ad Dextram Dei federe dicit: *primo, quia Christus quia Deus est, Deo Patri ut essentia, ita dignitate & gloria æqualis est; secundo & melius, quia Christus quia homo est, erectus est ad æqualitatem Dei, sive ad participationem, sive ad communicationem Divinæ ut hypostasis, ita & gloriæ.* (b) Sequuntur qui ita sentiunt Patres antiquæ Ecclesiæ, quorum plurimi rem eodem modo in suis Scriptis explicant. ATHA-

NA

(y) Hieroglyph. Lib. III. in principio. (z) §. X. & seq. (a) Commentar. ad Hebr. I. confer. quæ Idem notavit ad Colof. sens. III. 2. (b) Plures, qui ex Romano-Catholicis in eandem sententiam eunt, citantur a BELLARMINO de Christo Lib. III. cap. XV.



NASIUS: (c) τί δὲ τὸτο (federe ad Dextram Dei) σημαίνει, ἢ τὸ γνήσιον τῆς Τιᾶς; τὴν τε γὰρ τῆς Πατρὸς βασιλείαν βασιλευσάν, ὁ Υἱὸς, ἐπὶ τὸν αὐτὸν θρόνον τῷ Πατρὶ καθίσταται, καὶ τῇ τῆς Πατρὸς θεότητι θεωρούμενος, Θεὸς ἐστὶν ὁ Λόγος· καὶ ὁ βλέπων τὸν Υἱὸν, βλέπει τὸν Πατέρα· καὶ ἕως εἰς Θεὸς ἐστίν. Ἐκ δεξιῶν γὰρ καθήμενος, ἀριστερὸν ἔποιε τὸν Πατέρα, ἀλλ' ὅπερ ἐστὶ δεξιὸν καὶ τίμιον ἐν τῷ Πατρὶ, τὰτο καὶ ὁ Υἱὸς ἔχει· καὶ λέγει, πάντα, ἅσα ἔχει ὁ Πατήρ, ἐμὰ ἐστίν. (Johann. XIV.) Διὰ τὸτο γὰρ καὶ ἐκ δεξιῶν καθήμενος ὁ Υἱὸς ὁρᾷ τὸν Πατέρα, καὶ αὐτὸν ἐκ δεξιῶν· καὶ ἂν ὡς Ἀνθρώπου γένόμενος ἡλῆθ' ἡ προωρόμην τὸν κύριον, ὅτι ἐκ δεξιῶν μὲν ἐστὶ διαπαντός. (Psalm. XVI.) Δείκνυται γὰρ πάλιν καὶ ἐν τῷ τῷ, ὡς Υἱὸς ἐν τῷ Πατρὶ καὶ Πατήρ ἐν τῷ Υἱῷ· δεξιὰ γὰρ οὗτος τῆς Πατρὸς, ἐν τῷ δεξιῷ ἐστὶν ὁ Υἱὸς, καὶ καθήμενος τῆς Τιᾶς ἐκ δεξιῶν, ὁ Πατήρ ἐστιν ἐν τῷ Υἱῷ. Verba plana sunt & docent, per Sessionem Filii ad Dextram Patris intelligendam esse, non solum Participationem Regni Paterni, sed & omnimodam aequalitatem & Essentiae unitatem. BASILIUS: (d) Καὶ τὰ ἁγία Πνεύματος μαρτυρῶντος, ὅτι ἐκάθισεν ἐν δεξιᾷ τῆς μεγαλοσύνης τῆς Θεοῦ, ἡμεῖς πάντες σύνθρονον καὶ ὁμότιμον ἀπὸ τῆς πρὸς τὸ ἄσπρον σχέσεως ἐπὶ τὸ κάτω καταβιβάζομεν; τί οἶμαι γὰρ τὴν δεξιὰν χώραν δηλᾶν τὸ τῆς ἀξίας ὁμότιμον. Et quum Spiritus S. testimonium perhibeat, quod confederit ad Dextram Majestatis Dei, nos throni consortem & ejusdem honoris participem ab aequalitate status ad inferiorem dejiciemus locum? Puto enim Dextrum locum significare dignitatis aequalitatem. Similiter THEOPHYLACTUS: (e) licet recentioris aevi Scriptor: Ἐκάθισε ἐν δεξιᾷ, ἔχ' ὅτι τόποι περικλείεται ὁ Θεός, ἀλλ' ὡς τὸ ὁμότιμον αὐτῆς δεσχεθῆναι τὸ

H 3

XD (c) Orat. II. contra Arjanos. Oper. Tom. I. p. m. 367. (d) De Spiritu Sapientiae cap. VI. circa finem. (e) Commentar. ad Hebr. I.





τὸ πρὸς τὸν Πατέρα. Πρὸς αὐτὸν γὰρ ἔφθασε τὸν θρόνον τὸν Πα-  
τρικόν, καὶ ὡς περὶ ὁ Πατὴρ ἐν ὑψηλοῖς, ἔτω καὶ αὐτὸς. Sedet  
ad Dextram Dei non quod loco concludatur Deus, verum  
ut æqualis cum Patre honoris esse demonstratur. Ad  
ipsam enim paternam thronum usque pervenit, ac sicut Pa-  
ter in excelsis est, sic & Ipse. Mittimus plura, ne aliis  
videamur nimii in congerendis Patrum testimoniis.

Recentiores alii licet in re ipsa consentiant, phrasin  
& Metaphoram tamen inde illustrari & explicari posse o-  
pinantur, quod Reges Dextra scriptum gerere soleant. Ses-  
sionem Christi ad Dextram Dei proinde significare putant  
participationem & communionem Sceptri vel Regni, quia  
Filio sedente ad Dextram Patris, Sceptrum concipiatur  
positum in medio duorum. Amplectitur hanc sententiam  
C. L. VITRINGA, (f) eamque prolixè tueri satagit. Nos  
licet illam tanquam ingeniosam laudemus, usui tamen &  
Metaphoræ eandem convenire dubitamus. Nam primo  
Scriptura, ubi loquitur de Filio sedente ad Dextram Pa-  
tris, nullibi mentionem facit Sceptri, quod gerat Pater,  
sed potius tale tribuit soli Filio. (g) Deinde si conside-  
retur Sceptrum, tanquam quod sit in manu Patris, nulla  
inde sequeretur communio Imperii. Solus enim ille re-  
gnare existimatur, qui Sceptrum manu tenet. Potius  
participatio & communio Imperii ex eo satis jam nota  
erat, quod Christus alibi dicitur sedere in eodem throno  
cum Deo Pater. (h) Ita enim dici posset, quod, sicut  
thronus sit solius Imperantis, sic etiam communio throni  
invol-

(f) (f) Observat. Sacrar. Lib. II, cap. IV. & V. (g) Psalm. CX.  
2. coll. Psalm. II. 9, & XLV. 7. (h) Zachar. VI. 12. 13.  
Apoc. III. 21.



involvat communionem Imperii. Unde colligimus non exhaustire omnem Metaphoræ emphasin, qui hoc modo argumentum de *Sessione Christi ad Dextram Patris* interpretantur.

§. II. *C*eterum sententia illa, quæ *Sessionem Christi ad Dextram Patris* in genere interpretatur per summam Christi potestatem, gloriam & imperium, quod post perfectam peccatorum expiationem cum Deo Patre par & æquale acceperit, a plerisque Theologis, quod jam diximus, tanquam optima hujus articuli explicatio est admissa. Agnoscimus & nos, illam esse veram & in Sacra Scriptura fundatam. Videtur autem nobis latere adhuc aliquid in illa Metaphora, quæ Christo tribuit *Sessionem ad Dextram Dei*, quod & hæc interpretatio non omnino exhaustiat. Si enim *Sessio ad Dextram Patris* nihil aliud significaret, nisi omnimodam cum Deo æqualitatem, parem potestatem, parem gloriam, &c. dicendum foret, Christum jam ab æterno, & quamdiu postea inter homines vixit, saltem quoad Naturam Divinam, semper sedisse ad Dextram Patris. Quod tamen ex Scriptura probari haud poterit. Nulla etiam ratio esset, quare hoc sensu non æque Spiritui Sancto ac Filio *Sessio ad Dextram Patris* competeret. Novimus enim Illam quoque ejusdem essentia, ejusdem proinde potestatis & gloriæ cum Patre esse participem. Tale quid vero iterum ex Scriptura ostendi nequit. Neque hic dixisse sufficit, hanc interpretationem non esse intelligendam, nisi cum respectu ad statum Christi humilem ejusque depositionem. Nam ita Christus priusquam se exinaniret, ab æterno tamen sedisset ad Dextram Dei. Ita vero rursus adfirmamus aliquid, de quo Scriptura fileat, quæ *Sessionem Christi*

sti





sti ad Dextram Patris non describit tanquam nudam pri-  
stinæ gloriæ, ut ita loquar, receptionem, sed potius tan-  
quam peculiare *ἀποχρηστικόν*, peracta & exantlata Redemptio-  
ne, Mediatori collatum. (i) Denique, quod & ab initio  
monuimus, non videtur nobis hæc interpretatio satisfacere  
Metaphoræ. Videamus igitur anne explicationes il-  
lorum, quæ in tertia classe nobis enarrandæ restant, il-  
lud, quod adhuc superest dubium, penitus solvant?

## §. LII.

Referemus ad ultimam hanc classem interpretationes  
illorum, qui hæc Metaphora Christo aliquam præ Patre  
prælationem tribui existimant. Primam huic explicatio-  
ni occasionem procul dubio præbuit ipsa Metaphora. No-  
tum enim est & supra pluribus a nobis ostensum, inter  
homines potiorē semper considerari illum, qui Dextras  
tenet; unde simile aliquid Scripturam hic significare pu-  
tant. Explicavit rem quondam hoc modo JOHANNES MAL-  
DONATUS. „Quocirca, inquit, (k) *sedere ad Dextram*  
„*Patris* non solum significat Christum esse æqualem Pa-  
„tri, sed etiam *Majorem*: non quidem re ipsa, quia  
„æqualis Pater, æqualis Filius, æqualis Spiritus Sanctus,  
„ut habemus in Symbolo Athanasii, sed quod attinet ad  
„nos & *functione officii & administratione Ecclesiæ*: quia  
„etsi Pater sit Deus & Rex, tamen *Regni administratio*  
„conceditur & tribuitur Filio, qui Regnum amissum re-  
„cuperavit & adquisivit Patri suo proprio sanguine & ver-  
„bo suo fidem in cordibus hominum plantavit. — Quare

„sedere

- (i) Conferantur, qui idem observarunt, PAREUS in explicat.  
Catechesæ, Domin. XIX. quæst. L. & CLOPPENBUR-  
GIUS in Exercitat. Theolog. Loc. X. Disput. VI. §. 28.  
(k) MALDONATUS in commentar. ad Psalm. CX.





„sedere ad Dextram est, esse quodammodo Majorem quoad  
 „officium & administrationem Ecclesie sue. Quod etiam  
 „patet ex aliis Scripturæ locis, ut Johann. V. 21 22. Ex  
 „quo quidem loco satis est manifestum, Christum non  
 „solum æqualem esse Patri in natura & re ipsa, sed etiam  
 „quodammodo Majorem in administratione Regni atque  
 „Ecclesie, quia omne judicium fuit illi datum a Patre.  
 „Licet enim in extremo judicio Pater & Filius & Spiritus  
 „S. judicent re ipsa & vere, siquidem opera sunt indivisa  
 „toti Trinitati, tamen solus Filius pronunciabit senten-  
 „tiam. Quod quidem voluit etiam Paulus Philipp. II.  
 „6 — 11. ubi non solum videtur significare Christum se  
 „exinanivisse, & ideo consedisse in æqualitate Patris, quia  
 „antea erat & ab æterno fuit æqualis Patri: sed quemad-  
 „modum Ipse Christus, qui antea erat in forma Dei, hoc  
 „est verus Deus, demisit se non solum usque ad condi-  
 „tionem & miseras hominum, sed infra naturam huma-  
 „nam, quemadmodum dicitur: ego sum vermis & non  
 „homo, & opprobrium hominum & abjectio plebis; sic  
 „Deus exaltavit illum, hoc est, fecit quodammodo se su-  
 „periores administratione scilicet Regni, non re ipsa, & do-  
 „navit illi Nomen, quod est supra omne Nomen, atque  
 „adeo etiam *Nomen Dei.* Quæ autem hoc loco addit  
 MALDONATUS: *Christianos omnes tacite hoc significare,*  
*quum audito Nomine JESU, omnes detegant suum caput,*  
*audito vero Nomine DEI non item, prorsus abscondunt*  
*& superstitiones papales redolent.*

## §. LIII.

Repetit suam hanc sententiam de *Sessione Christi ad  
 Dextram Dei*, ejusque fundamentum quærit in ipsa Me-  
 taphora Idem MALDONATUS alio loco. (1) „Valde,

I

ibi

(1) MALDONATUS in Commentar. ad Marc. XVI. 19.





ibi ait, meus in eam sententiam animus inclinat, ut existimem per *Dextram* non solum æqualitatem, sed *quidam* etiam *æqualitate* majus significari: non quod Filius quidpiam majus quam Pater habeat, sed quod *majorem præ se, si officii functionem consideremus, dignitatem ferat*; cum in *Dextra*, i. e. Regali in sede sit, Ecclesiam inde gubernans, donec Pater ponat inimicos Ejus scabellum pedum Ipsius: Sicut in judicio non habebit quidem re ipsa majorem, quam Pater honorem, non majorem potestatem, sed majorem tamen ostendet, ac præ se feret, quia Ipse, non Pater Judicis visibiliter officium exercebit. Omne enim judicium Pater dedit Filio, Johann. V. 22. Moveor consuetudine loquendi, unde sine dubio Metaphora illa ad *Dextram Dei Patris sedendi* tracta est. Quum tres simul sedent, omnium more gentium, qui honoratissimus est, sedet in medio; quum autem sedent duo, qui honoratior est, sedet ad *Dextram*. Exemplum est 1 Reg. II. 19. ubi quum Bathseba, Mater Solomonis Regis eum inviseret, jussit Solomon ad *Dextram* suam alterum poni thronum in eoque sedere Matrem, ut eam superiorem agnosceret. Animadverto autem nusquam in Sacris Literis Spiritum Sanctum, sed solum Patrem & Filium dici sedere; quod sedere, ut dixi, gubernare sit; & non Spiritus S. sed Pater & Filius dicuntur gubernare, gubernare inquam extrinsecus. Quum ergo solus Pater & Filius sedeant, & Filius ad *Dextram* Patris sedere dicatur, significatur, *honoratione quodammodo esse loco, non quod re ipsa Major sit, sed quod, quum Regis officium exerceat, majorem præ se ferat dignitatem.* Verba MALDONATI prolixiora retulimus, quia ipse celebris nominis auctor non omnibus æque notus est. Nobili stirpe in Hispania natus, postea

rece-





receptus est in Societatem Jesu. Quamvis deinde post aliquod tempus accusaretur hæresis, Parisiis tamen absoluebatur, imo & a Pontifice Gregorio XIII Romam evocabatur. Ubi quum novam editionem *cap. LXX.* adornasset, diem suum obiit, anno 1583. Nomen Viri multis etiam ex ipsa Ecclesia Romana exosum est. Neque nos ipsius impudentiam & fraudes, quas passim prodit, præsertim in *Epistola de collatione Sedanensi cum Calvinianis*, (m), in qua fallacia alia aliam quasi trudit, laudandas suscepimus.

## §. LIV.

Hanc vero *Sessionis Christi ad Dextram Patris* interpretationem multi ex nostris reprehendunt, sive quod verè erraverit MALDONATUS, sive quod errasse creditus est. GOMARUS hanc sententiam *paradoxum* vocat. (n) Pudorem, addit, in Jesuita requirimus, qui ab universa antiquitate, & Ecclesia, de cujus consensione tantopere gloria-  
tur, imò a tota Scriptura in explicatione articuli fidei discedit. RIVETUS pariter (o) audacem hanc esse & impudentem assertionem, ait, & miras putat metuendas fuisse a Jesuitis tragædias, si nostrum alicui talia excidissent. Notat itidem BURMANNUS (p) Socinianos, qui perversissime Christum honoratiori loco positum velint, quam ipsum Patrem, quibus & assentitur, pergit, Maldonatus Jesuita. HEIDEGGERO (q) Socino secundas fecisse fa-  
mosus

(m) Conjunctim edita est cum commentario Maldonati in IV. Prophetas & exposit. Psalmi CX. Moguntiae 1611. in 4to.  
(n) In corollar. Disputat. de Sessione Christi ad Dextram Patris. (o) Commentar. in Psalm. CX. (p) Synops. Theolog. Lib. V. cap. XXV. (q) Loco XVIII. de Statu J. Christi n. 71. Corpor. Theol. tom. II. pag. 70.





*mosus ille Maldonatus videtur.* WITSIUS (r) denique cunctos, qui ita sentiunt, *delirare* pronunciat. Penitus examen nunc non instituemus, an de sententia MALDONATI jure hæc & alia istius generis judicia ferantur. Videtur enim & nobis ipsius interpretatio durior, vel saltem non satis exposita. Considerat MALDONATUS sapius Christum Patre majorem & superiorem. Hoc vero expressis verbis negat Paulus Apostolus, inquit: (s) *quando dicit omnia Illi (Christo) esse subjecta*, δῆλον, ὅτι ἐκ τῆς ὑποτάξεως αὐτῷ τὰ πάντα. *manifestum est, exceptum esse Illum, qui subjecit illi omnia*; Siquidem, quod hic observasse juvabit, ordo, quo subsistit Sacrosancta Trinitas, non est *arbitrarius*, sed *naturalis*. De cætero autem Sessionem Christi ad Dextram Patris non male refert MALDONATUS ad *Muneris administrationem*; quare etiam mitius de eo sensit CL. RÖELLIUS, qui eandem explicat de Regno Oeconomico, quod solus Filius administret.

## §. LV.

Ipsam Viri clariss. præstantissimi sui temporis Theologi, de *Sessione Filii ad Dextram Patris* sententiam, quæ ad ultimam hanc classem pertinet, ut melius percipiatur, proponam verbis ipsius auctoris: (t) „Quando Christus „ad Dextram Patris collocatus dicitur, significari videtur „quod œconomice & certa ratione solus regnet, donec „tradat iterum, œconomia illa cessante, Regum Patri, „ut Deus, sine tali trium Personarum œconomia, sit omnia „in omnibus. „ Prolixius alibi rem explicat, & communitatem illam, quæ hic moveri solet, objectionem diluit.

Sen-

(r) Exercitat. XXI. in Symbolum Apostolicum. (s) 1 Corinth. XV. 27. (t) Dissertat. prior. de Generat. Filii §. XLIII. pag. 44.





Sententiam ipsam postquam clare proposuerat, addit, (u) idem quondam sensisse Maldonatum, quod scilicet illa phrasi significetur, Christum in administratione Regni considerari ut Majorem Patre. Sed illi, pergit, opponitur illud, quod est I Corinth. XV. 27. ubi dicitur, quod Pater illi omnia subjecerit, quod tamen Pater illi non sit subiectus. Verum, respondet CL. RÖELLIUS, neque hæc est sententia nostra, Patrem Filio œconomice esse subiectum, quemadmodum Filius Patri fuerat, sed saltem omnia illa, quæ subesse possunt imperio divino. Denique subnectit ipse Vir Clariss. suum de hac sententia iudicium, quæ, licet talis non esset, aliis tamen poterat videri nova. Saltem nihil, inquit, (w) in ea sententia est, quod non conveniat cum analogia fidei & Scripturarum, quæ ubique Christum proponunt, tanquam Regem, Dominum, Judicem &c.

## §. LVI.

Suspecta forte videri posset & hæc CL. RÖELLII interpretatio Sessionis Christi ad Dextram Patris. CL. Auctor enim ipsam quoque FILII denominationem, Ejusque GENERATIONEM ad Oeconomiam referre, & proinde nullam harum denominationum significationem nisi impropriam admittere voluit. (x) Imo eo tandem progressus est, ut ordinem, quo subsistunt tres *in personis* Sacrosanctæ Trinitatis non Naturalem sed Arbitrarium conciperet, neque hinc aliam esse rationem existimaret, propter quam Una vel Altera Persona sit PRIMA aut SECUNDA, nisi liberam Oeconomiam, tum inter Personas Divinas intam, quum Deus caperet consilium de salvando peccato-

I 3

re.

(u) In explication. Catecheses Dom. XIX. Quæst. L. (w) RÖELLIUS loc. citat. (x) Vid. CL. RÖELLII Dissertationes de Generatione Filii.





re. Si ergo ex his hypothefibus ferretur iudicium de illa interpretatione, quam *de Sessione Filii ad Dextram Dei* in medium protulit Clar. RÖELLIUS, eandem recedere ab Ecclesiæ nostræ doctrina, quam de Sacrosancta Trinitate servavit semper, posset aliquo modo censer. Itaque licet peculiaris illa Viri Clarissimi *de Generatione Filii* sententia, quæ, ut notum est, lites & non leves peperit ubique motus, ab omni Socinianismo sit alienissima, illam tamen non facimus nostram, sed Personarum Divinarum *Ordinem & Characteres Personales* in Sacra Scriptura indicatos, secundum receptam & communem Ecclesiæ nostræ doctrinam, *Naturales esse* admittimus atque tuemur, tum quoniam supponuntur in œconomia Negotii Gratiæ, tum quia Deus veracissimus sese procul dubio non Alium, quam Qualis in se est, per opera sua manifestare voluit. Quamvis autem hoc modo nullam *Sessionis Christi ad Dextram Dei* admittamus interpretationem, quæ huic nostræ hypothefi sit contraria, vel difficile saltem cum illa posse combinari videatur: nihilo tamen minus, hanc ipsam, de qua loquimur, *Sessionem Christi ad Dextram Patris* ad œconomiam esse referendam putamus, atque summam Potestatem Filio Dei collatam & concessam, absque ulla tamen vel *Identitatis* Essentiæ Divinæ, vel *naturalis* Personarum *ordinis* mutatione aut *præjudicio*, per illam significari arbitramur. Quod ipsum, ut clarius fiat, nostrum nunc erit, ut, quæ hic in compendio diximus, ex nostris hypothefibus plenius deducamus & perspicue exponamus.

#### §. LVII.

Felicius hac in re versabimur nostramque mentem clarius forte exprimemus, si ad ipsam *Potestatis* notionem attendamus, eamque consideremus ceu *perfectio-*  
nem





nem relativam, quæ in alterius dependentia fundamentum habet, ut pateat, *Potestatem summam & absolutam*, quæ est *perfectio Divina*, oriri ex tali opere vel beneficio, cuius virtute res aliæ in totum & absolute a Deo dependent. Hinc enim clarum fiet, quod eodem sensu, quo tale opus vel beneficium sive totæ *Essentiæ Divinæ*, sive *Personæ* Alicui, seorsim spectatæ, competit, *summa* etiam, quæ inde oritur, *Potestas*, tribuatur Deo, vel *ἡγεμονία* vel *ὑποστατική* considerato. Porro, quum opus tale sit vel *Naturæ*, i. e. Creatio, quæ pandit Dei *Θεότητα*, vel *Gratiæ*, i. e. Redemptio, in qua Deus potissimum manifestare voluit Trium Personarum *ὑπόστασιν*, ostendendum nobis erit, summam illam Potestatem ita Tribus Personis esse communem, ut tamen etiam possit concipi tanquam *Unæ* vel *Alteri*, ex certa quadam & peculiari relatione *propria*. Distinctius ergo agemus primo de illa, quæ PATRI hoc modo competit, potestate peculiari, deinde de illa, quæ FILIO propria est; quæque sit utriusque ad alteram relatio, dicemus. Ita enim patebit, quomodo salva *Naturæ*, sive *Essentiæ Divinæ identitate*, non solum diversa sit Personarum in operibus *Oeconomia*, sed & FILIO data sit *summa Potestas* absque *præiudicio ordinis*, qui Personis Divinis *naturalis* est. Ex quibus denique omnibus judicari poterit, numne, & qua ratione *summa illa Potestas*, Filio concessa, vocetur *Sessio ad Dextram Dei* etiam cum aliqua *prælationis* significatione respectu operum æconomicorum.

## §. LVIII.

Potestas nobis dicitur *Jus utendi potentia circa Personam vel rem, tanquam suam*. Est vero Potestas Perfectio quædam *relativa*, quæ vim & potentiam naturalem supponit. Jus enim exercendi illam ex certa quadam *relatione*

latione





latione oritur. Quæ relatio *dependentiæ* est, & æstimanda ac metienda est ex beneficio, quod quis ab altero vel accepit, vel expectat. Quantum scilicet quis alteri debet, tantum ab illo dependet, eique obstrictus manet. Vicissim quantum quis alteri sive ad esse, sive ad perfectum esse contulit, vel conferre potest, tantum habet in illum *Juris & potestatis, tanquam in rem suam*. Hac si referamus ad illam, quæ Deo competit, *potestatem*, facile intelligimus, eandem esse summam, absolutam, & talem, quæ se extendat ad omnia. Deus enim non solum a se est, in se Ipso perfectissimus & prorsus *independens*, sed & ab Ipso sunt, quæcunque existunt. Itaque rerum omnium *Dominus* est, isque *absolutus & summus*, tum quia Ipse sua Natura est *Omnipotens*, *Qui*, ut cum Scriptura loquar, *facere potest, quidquid vult in cælis ac in terra* (a), tum quia *Jus* quoque *absolutum* habet, utendi hac sua potentia, *secundum eundem Voluntas suæ*. (b) *Nihil enim Ipsius Voluntati resistere potest*, (c) vel impedire, quo minus pro summa sua potestate *seruet ac perdat, quidquid velit*, (d) quia, quod jam diximus, quæcunque præter Ipsum sunt, *Ipsius sunt*, & ab Ipso *in totum* dependent.

## §. LIX.

Quum itaque solus ille *independens* sit & res omnes a se *dependentes* habeat, qui ea, quæ nihil erant, fecit & vocavit, ut essent, (e) Quique ea, quæ fecit, perficere quoque potest: sponte sequitur, summam illam potestatem, quæ ex rerum illa *dependentia* ortum habet, esse *proprieta-tem*, quæ soli Deo competat. Quia vero hic

(a) Psalm. CXV. 3. (b) Ephes. I. 5. Philipp. II. 13. (c) Rom. IX. 19. (d) Matth. X. 28. (e) Rom. IV. 17.



hic supponitur esse aliquid *extra & præter Deum*, in quod *Potestatem* habeat, eandemque exerceat, hæc ipsa *proprietas*, non absolute *Naturalis*, sed, uti diximus, *Relativa* est. Talis scilicet hic requiritur *Relatio*, cujus virtute Deus habeat *Jus* in illa, quæ existunt, tanquam in *res suas*, suamque proinde possit ostendere & manifestare potentiam, convenienter fini suo, rerumque ipsarum naturæ. Finem vero Deus, qui a Se Ipso est, nullum alium, quam Se Ipsum & *Gloriam suam* habet, vel habere potest. Semper Ille in operibus suis Sese manifestat talem, qualis est. Est autem non tantum in se perfectissimus, & *summmum illud & absolutum esse*, (f) quod omnem in se comprehendit *Entitatem*, sed etiam vult se esse talem, qualis est, hoc est, virtutibus suis adquiescit. Prius ex eo patet, quod dederit rebus omnibus tum *esse*, tum *porro esse*, imo & *perfectius esse*. Hinc enim tanquam ex effectu constat, Ipsum, ut *causam primam* possidere *omne esse*. Alterum inde evidens est, quod Deus suis perfectionibus delectetur quoque. Vult enim & jubet suas perfectiones agnoscere, comprobare, admirari, celebrare, denique imitari.

## §. LX.

Præcipua hæc ratio est, cur Deus præter creaturas, quæ nudum esse habent, condere etiam voluerit tales, quæ *sui essent conscie*, vel, quod idem est, *cum conscientia* existerent. Illa quod *sint*, & *cur sint*? nosse possunt; & proinde vocantur *Rationales*, quia, quodcunque agunt, *cum ratione agunt*. Sunt ergo in sua existentia ita comparatæ, ut manifeste doceant, non solum Deum, in se comprehendere *summmum & perfectissimum esse*,

K

(f) Exod. III. 14. Apocal. I. 8.





esse, sed & IPSUM his suis perfectionibus delectari & ad-  
quiescere. Utrumque prolixius ostendi posset, nobis vero  
dixisse sufficiat: *effectus* hos & esse tales, qui arguant cau-  
sam perfectissimam; & sua natura ita esse comparatos, ut  
sint, vel saltem possint ac debeant esse virtutum ac perfe-  
ctionum Divinarum totidem præcones, laudatores, imi-  
tatores. Ad hunc itaque finem quum conditum sit,  
quidquid extra Deum est, maxime, de quibus diximus,  
creaturæ rationales, ad eundem quoque, convenienter  
suar naturæ, diriguntur. Utitur ad hoc Deus *summo il-  
lo suo jure & suprema Potestate*. Hinc res illas, quibus  
*nudum esse* dedit, ita conservat, auget, regit & ad fines  
suos dirigit, ut in continuata earundem existentia infinitæ  
potentiæ & bonitatis summæ clarissima prostant argumen-  
ta. Sed longe clarius hujus potestatis exercitium sese exe-  
rit, si attendamus ad *Regimen morale*, cui subsunt crea-  
turæ rationales. His enim Deus præscribit Leges, quas  
simul poenis & præmiis sancit. Punit illos, qui legem  
hanc negligunt & observare detrectant; beat alios, qui suæ  
voluntati sese conformant. Utrumque *Dominii & Pote-  
statis summæ* argumentum est. Mali enim cum maximo  
suo damno experiuntur, Deum non solum esse *Dominum*,  
qui, ut alios servare, sic ipsos perdere possit, sed & *Bo-  
num summum*, in cujus sola communione sicut pii sint  
beati, ita extra eandem ipsi se sentiant sine fine miseros.  
Quemadmodum autem hoc modo in puniendis & per-  
dendis malis & immorigeris sese exerit *Potestas Divina*,  
ita non minus elucescit in beandis piis. His enim, qui  
IPSUM quarunt, Ejusque perfectionibus delectantur, &  
quantum possunt, id agunt, ut referant illarum imagi-  
nem, Deus sese talem exhibet, in quo perficiantur; imo  
& cuncta, quæ subsunt Imperio Divino, dirigit ad eo-  
rundem



rundem salutem. In his ergo omnibus conspicuum est  
*Potestatis supremæ & vere Divinæ exercitium morale.*

§. LXI.

Quum vero *Relatio* illa, cujus virtute Deus est summus & absolutus rerum omnium Dominus, inde, uti diximus, oriatur, quod Deus solus sit *independens*, & vicissim omnia, quæ existunt, a se *dependentia* habeat: Supremi hujus Domini *primum fundamentum* est *CREATIO*. Per illam enim Deus non tantum res omnes condidit, & fecit, ut sint, quod sunt, sed & certas illis constituit leges, secundum quas qualibet in suo genere perfici possint; Unde sponte sequitur, illa, de qua præcedenti §. dictum est, rerum omnium absoluta & omnimoda a Deo *dependentia*. Quum enim *quidquid sunt, quidquid etiam possunt esse*, totum debeant soli Deo: a Deo etiam *in totum dependent*. Resultat hinc *suprema illa Dei in suas creaturas Potestas*, quam exercet tum per *Providentiam communem*, tum per *Regimen morale* in creaturas rationales. Cunctis leges, quæ cum ipsarum natura conveniunt, præscripsit, secundum quas ad illos fines, ad quos conditæ sunt, easdem ducit & dirigit. Sed ne mera fiat dictorum repetitio, hoc saltem addimus, quod, licet summa hæc Dei potestas, quæ in *Creatione* fundatur, supponat *Omnipotentiam* & alias *Proprietates Deo Naturales & Essentiales*, ipsa tamen *Potestas*, stricte ita dicta, sit *Perfectio & Adtributum Relativum*. Nam *Jus, utendi hac potentia*, oritur ex illa *Relatione*, cujus virtute res omnes *in totum a Deo dependent*, atque vicissim *Ipse* est absolutus earundem *Dominus*.

§. LXII.

*Creatio* igitur ita comparata est, ut Deus per illam manifestet summam *Essentiæ suæ perfectionem*, *atque*

K 2

nam





nam & δύναμιν potentiam & θεότητα Divinitatem, ut Paulus loquitur, (g) quæ qua ratione *subsistat*, Deus peccatorem demum docuit. Quod quum postea fieret per Revelationem externam, per quam sese Deus manifestavit tanquam ἄλλος καὶ ἄλλος: simul clare satis indigitavit, in Opere Creationis occupatam fuisse totam Sacrosanctam Trinitatem. Non enim tantum Moyses a Deo Ipso edoctus, ubi pandit veram rerum omnium originem, Cœli ac Terræ Creatorem vocat אלהים, *Elohim*, (h) (quæ vox *pluralis numeri* terminationem habet) atque Deum cum Alio vel Aliis, sibi æqualibus colloquentem facit, tanquam ex quorum quasi consilio creationem hominis vellet fuscipere, ubi ait: *faciamus hominem ad imaginem nostram*, (i) sed etiam alii Viri Dei, ita dictante Spiritu Sancto, quando mentionem faciunt Dei, tanquam Creatoris, sæpe flectunt Nomina in *singulari* notissima in terminationem *numeri pluralis*. (k) Licet autem inde clarum fiat, opus Creationis &, quod inde fluit, in res creatas Regnum atque Dominium absolutum & summum commune esse universæ Sacrosanctæ Trinitati, tamen Deus Ille Trinus per Creationem non *Diversos subsistendi modos*, sed perfectiones saltem *essentiales* manifestare voluit. Cognoscimus itaque per Creationem esse Deum *Eus Primum ac Summum*, quod Ipsum sit a se, & a quo sint omnia. Deprehendimus Potentiam, Sapientiam, Bonitatem Ipsius Summam. Animadvertimus denique Perfectissimam Ipsius Essentiam esse numero unicam, quia Creaturæ inter se diversæ, amica tamen quadam harmonia ita uniuntur, ut un iversa rerum Creatio sit quasi unum Opus.

(g) Rom. I. 20. (h) Genes. I. (i) Genes. I. 26. (k) Iesaj. LIV. 5. Eccles. XII. 8.





Opus. Quum igitur talis fit Creatio, illa quoque, quæ hinc oritur *summa Potestas* competit Deo *grando* spectato; quippe per quam ostendit & manifestat *perfectiones essentielles*, ac proinde æque *communis* est omnibus Personis, ac ipsa *Essentia*. Quare si mansissent omnia integra, uti in principio creata fuerant, summa illa, de qua hactenus diximus, *Potestas*, non Uni vel Alteri Personæ tribuenda fuisset, sed toti Deitati mansisset propria; quia, uti diximus, Opus Creationis, ex quo derivatur, non ad Unam vel Alteram Personam, seorsim spectatam, pertinebat, sed tanquam Opus Dei, *in sua Essentia* spectati, omnibus Personis erat commune.

## §. LXIII.

Ast vero alia subsequuta est rerum facies, postquam homo lapsus fuerat, & quas prius habuerat, perfectiones amiserat. Mansit quidem tum etiam Deus *peccatoris Dominus*; sed hoc suo *Dominio & Potestate* uti non poterat, nisi *ad perniciem peccatoris*. Decreverat autem Deus ex singulari *φιλανθρωπία*, (l) in *peccatoris* quoque salute manifestare Bonitatis suæ Gloriam. Verum quum non deceret *Sanctitatem Dei* salvare peccatorem tantum per *Omnipotentiam* suam: *Iustitia*, virtus Deo non minus *Naturalis*, ita debuit temperare *Misericordiam*, ut peccatum non remitteretur, nisi cum *ἐνδείξει Iustitiæ Divinæ*. (m) Deus *justificans impium*, Ipse tamen manet *Iustus*. (n) Jam vero si respicias ad peccatum hominis, ejusque gravitatem, sane illud non poterat levi aliqua expiari poena. Æstimandum enim erat ex dignitate Illius, adversus Quem commissum fuerat. Deus ille erat dignitatis summæ & prorsus *infinitæ*, & proinde læsus, *infinitam*

K 3

quo-

(l) Tit. III. 4. (m) Rom. III. 25, 26. (n) Psalms. I. 6.





quoque poscebat *satisfactionem*. Illam vero homo *infinite* inferior, & respectu Dei fere *nihil*, prestare non poterat, nisi talem, quæ esset infinita ratione *durationis*. Itaque ne decretum de salvando peccatore esset irritum, requirebatur *λύτρον*, cujus valor responderet gravitati peccati, hoc est, qui esset *infiniti pretii*. Unde patet ad redimendum peccatorem Deum neminem admittere potuisse, nisi talem, qui & Ipse Deus esset. Denique, quia, ut homo corruptus instauraretur, & ad pristinum statum reduceretur, requirebatur *Potentia* summa & vere Divina, nemo Salutis Opus perficiendum in se suscipere poterat, nisi qui hac polleret potentia. In hoc enim consistit *nova* quasi hominis *Creatio*. (o)

## §. LXIV.

Est ergo Salutis nostræ Opus ita comparatum, ut supponat quandam in Deo *pluralitatem*. Alius enim est *Judex*, Alius *Redemptor*, Alius *Instaurator* hominis peccatoris; Quorum tamen quemque, ut §. præcedenti visum est, verum esse Deum oportet. Sed quod res ipsa arguit, Deus clare manifestavit. Docuit enim per Revelationem externam sese esse PATREM, FILIUM & SPIRITUM SANCTUM, atque secum inivisse de salvando peccatore *Consilium Patris*. (p) Pater in Illo suscepit Personam JUDICIS, Filius REDEMPTORIS, Spiritus S. ΠΑΡΑΚΛΗΤΟΥ, sive Illius, qui partam nobis tradit salutem. Non enim poterat Deus, quod jam diximus, conciliari cum peccatore, nisi salva sua Justitia. *Sanctificari debuit per Justitiam*, (q) & peccatum proinde punit ideo, quia *Se Ipsum abnegare non potest*, (r) Nisi enim hoc faceret, *videretur similis peccato-*

(o) 2. Corinth. V. 17. Galat. VI. 15. (p) Zachar. VI. 13. (q) Jesaj. V. 16. (r) 2 Tim. II. 13.



catori. (s) Unde & in Scriptura expressis verbis protestatur Deus se nolle fontem pro insonte habere, (t) vel peccatum dimittere impunitum. (u) Missa facio innumera alia Scripturæ loca, quæ de odio Dei adversus peccatum loquuntur. Pater itaque, qui tuebatur Personam Judicis, jus Deitatis adversus creaturam peccatricem vindicantis, Salvationis Opus obtulit Filio, Eique Semen ac diuturnum Regnum pollicitus est, si animam suam vellet ponere *ἀντὶ τοῦ* pro peccatis hominum. (w) Gratosam hanc Dei voluntatem de salvando peccatore lubens acceptavit Filius, (x) & factus hinc est *ἡνὶ* Vindex, (y) *μεσίτης*, Mediator inter Deum & homines, (z) *ἑγγυὸς διαθήκης*, Sponsor Testamenti; (a) donec tandem Opus Salutis per sui Ipsius oblationem consummaret. (b) Denique quum non minus sit opus Divinæ potentia, quo nobis traditur & obsignatur parta Redemptio, Spiritus S. in se suscepit Sanctificationis negotium, (c) nobisque est *σφραγίς* (d) atque *ἀρραβὼν* hereditatis nostræ. (e) Vocatur hinc etiam *Πνεῦμα τῆς ἀληθείας*, quia nos ducit in omnem veritatem; (f) & tanquam verus *παράκλητος*, quem Filius a Patre misit, (g) non solum varia in nobis dona pro gratiosa sua voluntate operatur, (h) sed & coram Deo ineffabilibus gemitibus pro nobis interpellat. (i) Hæc ergo est quasi summa pacti, seu Consilii Pacis, quod inter tres Personas Divinas coaluit, & cujus virtute Deus ita peccatorem salvat,

- (s) Psalm. L. 21. (t) Exod. XX. 9. (u) Exod. XXXIV. 7. (w) Jesaj. LIII. 10. (x) Psalm. XLI. 9. (y) Job. XIX. 25. (z) 1 Timoth. II. 5. (a) Hebr. VII. 22. (b) Hebr. IX. 26. (c) 1 Petr. I. 2. (d) 1 Corinth. I. 22. (e) Ephes. I. 13. 14. (f) Johann. XVI. 13. (g) Johann. XV. 23. (h) 1 Corinth. XII. 13. (i) Rom. VII. 26.





vat, ut simul vindicet suæ Justitiæ Gloriam. Huic vero Negotio locus nullus fuisset, nisi Deus eo, quo diximus modo, fuisset, seque manifestasset in Personis Trinum, *Patrem, Filium & Spiritum Sanctum*. Quare etiam ita clare illud Mysterium nobis manifestatum est, ut expressis verbis in Scriptura legamus, *Patrem esse alium a Filio, (k) Filium esse alium a Patre, (l) Spiritum Sanctum esse alium a Patre & Filio, (m) hosque tres esse unum. (n)* Veneranda antiquitas tres illos, *Patrem, Filium & Spiritum S.* non tamen sine ingenti heterodoxorum contradictione, (\*) nuncupavit totidem ὑποστάσεις, quod Latini vertunt *Personas*; ex quo ad nostra usque tempora usus harum vocum in Ecclesia obtinuit. Veritas ipsa, quod ex ante dictis sponte sequitur, tanti ponderis est, ut absque illa nulla spes salutis peccatori reliqua sit; licet homini, qualis nunc est, sit & maneat arcanum inexhaustum. Sufficit nobis & Personarum distinctionem, & ordinem, quo subsistunt, in Scriptura S. clare esse manifestatum.

## §. LXV.

(k) Johann. V. 32. (l) Johann. VIII. 16. (m) Johann. XIV. 16. (n) I Johann. V. 7.

(\*) Ab initio quidem Orthodoxi *tria* saltem Ejusdem Essentiæ admiserunt *Nomina*. Verum quum SABELLIUS hæc depravaret, atque *Unam* duntaxat in Divinis *Personam* Τεῖνον ἐσσε doceret, mentem suam clarius explicarunt Orthodoxi, quod non tantum *Tria* intelligerent *Nomina*, sed *Tres* etiam *distinctas Proprietates*. Hæc vero iterum corrumpebat SABELLIUS, atque tres illas in Deo proprietates explicabat per modum *trium potentiarum*, quas deprehendimus in anima nostra. Quare, ut tandem errorem hæretici convellerent, omnemque ansam corrum-





## §. LXV.

Hoc Dei Consilium, inter tres Personas Deitatis in-  
itum, quod, uti mox dicemus, per varias *Oeconomias*  
consummatur, fundamentum est Regni Gratiae, quod  
Regno Naturae, de quo a principio diximus, successit.  
Sicut enim summa & absoluta in res creatas potestas Deo  
competebat jure Creationis, ita non minor nascitur *Pote-*  
*stas* ex Redemptionis Opere; imo si ad hominem peccato-  
rem respicias, illam quodammodo superat. Per *Creatio-*  
*nem* homo seipsum suamque existentiam debebat Deo; sed  
vero per *Redemptionem* peccator summa & infinita miseria  
obrutus, consequitur vitam beatam. Sicut ergo majus  
videtur esse *beneficium*, quo peccator, sine fine miser, fit  
beatus, quam quidem illud, quo homo, qui antea nihil  
erat, esse & existere incipit: (quilibet enim mallet non  
esse, quam semper esse miser) ita non minus forte agno-  
scendum est *vinculum*, quo peccator redemptus Redem-  
L tori,

corrumpendi doctrinam orthodoxam adimerent, tres esse  
in Deo *personas* sive *Personas* docuerunt. Frustra vero  
sunt hostes hujus veritatis, quando argumentis ex his de-  
nominationibus desumptis pugnant adversus veritatem  
ipsam; siquidem longe aliam significationem Personis Di-  
vinis respondere, quam quae inter homines nota est, ul-  
tro ipsis largimur. Inter ipsos Orthodoxos lis de his vo-  
cibus fuit. Græcorum *ὁμοούσιος* plus justo dicere vid. ba-  
tur Latinis. Hieronymus in epistol. ad Damasum,  
quæ incipit, quoniam vetusto: *Tres personae* admittere  
recusat, ne *Tres Essentiae Divinae*, seu *tres Dei* statuan-  
tur. Imo & quidam Græci, minus commodam esse il-  
lam vocem existimant. Athanasius in epistol. ad  
African. & Antiochen. Oper. Tom. I. p. m. 377. *ὁμοούσιος*  
*ἵστις ἓστιν, καὶ εἰς τὴν αὐτὴν οὐσίαν, ἢ αὐτὸς ὁ.* *Hypostasis est idem,*  
quod



tori, quam quo homo obstringitur Creatori suo. Hoc vero nunc non urgemus. Illud saltem sponte sequitur, novam Deo oriri ex Redemptionis Opere, per quod peccatori maledicto & sempiternæ miseriæ reo, addicit atque confert salutem, ad hominem, & propter ipsum ad alias creaturas relationem, & proinde novam quoque Potestatem. Quod ipsum vel maxime patet ex Illius exercitio atque

quod Substantia vel Essentia, nihilque aliud significat, quam id quod existit. — *Μία, ὡς ὁμοῦν ὑπόστασις, ὑγέμενοι ταυτὴν εἶναι εἰς αὐτὴν ὑπόστασιν καὶ ὅλην.* Unam dicimus hypostasim, existimantes idem esse hypostasim & essentiam. In epistola Synodi Sardicensis, ad Episcopos totius orbis scripta, quæ exstat apud THEODORITUM Histor. Eccles. Lib. II. c. VI. Hæreticorum esse, legitur, Tres dicere ὑποστάσεις, Catholicorum unam tantum. Hinc ergo est, quod in Scriptis Patrum, non eandem semper, sed diversam sæpe hæc vox significationem habeat. Contra vero Latinorum vox Persona minus videbatur exprimere Græcis; donec tandem in Synodo Alexandrina, quam BARONIUS refert ad Annum Christi 362. postquam de sensu verborum convenissent, quod illis significari vellent ὑποστάσεις, utraque pars adquiesceret. Plura in hanc rem exstant apud SUICERUM Thes. Eccles. vocib. ὑπόστασις, ὁμία, ὁμοῦν &c. Optime judicat CALVINUS Instit. Lib. I. cap. XIII. §. 3. Si temere non sunt inventa Nomina, cavendum est, ne ea repudiando superba temeritatis arguamur. Utinam quidem sepulta essent, conflaret modo hac inter omnes fides, Patrem, Filium & Spiritum S. unum esse Deum; nec tamen aut Filium esse Patrem, aut Spiritum Filium, sed proprietate quadam distinctos. Neque vero tam præcisa sum ausseritate, ut ob nudas voculas digladiari sustineam. Animadverto enim Veteres, multa aliqui Religione de iis rebus loquentes, nec inter se, nec singulos etiam secum consentire. Adde, quæ ZANCHIUS habet de uno vero Deo Lib. I. cap. 2.



atque usu. Nam cum homine etiam peccatore fœdus pangit Deus. Postulat in illo fidem & obsequium. Jubet ut homo Deum eo modo quærat, quo vult esse peccatoris Deus. Pollicetur fidelibus vitam, minatur infidelibus perniciem æternam. Sicut etiam jure creationis cunctorum sine discrimine Dominus erat Deus: ita & illa, quæ ex Redemptione oritur *Potestas*, sese extendit ad omnes, qui naturæ lege Ipsi jam antea obstricti erant. Quum enim Deus nulli hominum se reliquerit ἀπερρυον, sed vel palpando ab omnibus possit deprehendi, (o) dum per providentiam communem bonitate multiplici omnes homines invitat quasi, ut resipiscant: facile patet, quorumvis hominum officium esse Deum vocantem sequi & revelanti credere. Eandem itaque Deus in redemptos habet potestatem, quam habuerat antea in creatos homines. Misereatur pro summa illa sua potestate quorum vult, & indurat quos vult. (p) Verbi sui contemptores sub reatu relinquit, & propter peccata punit: contra vero alios, qui per ὑποταγήν τῆς ὁμολογίας & πίστεως (q) Deo sese salvandos tradunt, justificat, sanctificat, in gratia conservat & demum glorificat. Hoc modo igitur Deus non solum *Gratiæ* sed & *Justitiæ* suæ gloriam pandit, cujus utriusque manifestatio hujus negotii finis est. Neque vero solum homines huic potestati, ex redemptione ortæ, sunt subjecti, sed & reliquæ creaturæ omnes, quæ ad usum hominum conditæ sunt. Illarum proinde tum conservatio, tum gubernatio ad eundem finem dirigitur, ut scilicet per has quoque, quantum fieri possit, exerceatur & manifestetur non tantum *Justitia*, sed & *Gratia Divina*.

L 2

Atque

(o) Actor. XIV. 17. Actor. XVII. 27. (p) Rom. IX. 18. (q) 2 Corinth. IX. 13.





Atque ita quidem Regni Dei, quale illud est post lapsum hominis & manifestationem Consilii Gratiae prima quasi lineamenta exhibuimus.

## §. LXVI.

Sicut autem omnes illae perfectiones & virtutes Dei, quae in hoc Regno elucescunt, Deo sunt essentiales & omnibus proinde Personis communes: ita etiam, si ad has tantum perfectiones Deo naturales & essentiales respicias, illarum, universim spectatarum, effectus & consequens est summa illa, quae in Regno Gratiae etiam conspicua est, *Potestas*; quae proinde, non secus ac perfectiones essentiales, ipsi Deitati communis est. Uti ergo *Voluntas Divina*, cuius jussu & efficacia cuncta fiunt & producuntur, *Potentia illa immensa*, quae res creat & conservat, *Sapientia denique summa*, quae cuncta ad fines suos dirigit, omnibus Personis una est atque eadem: sic etiam Gratiae Regnum, in quo virtutes illae maxime adparent, omnibus Personis commune. Ipsiusque Deitatis est. Arguit hoc non solum Nomen Dei *אלהים Elohim*, sed & Scriptura Sacra, ubi agit de Regno Dei, idem satis clare docet; nisi jam ex re ipsa & communi, quam de Deo habemus, notione abunde constaret, Deo tribuendum esse, quidquid Divini in Regimine mundi animadvertimus.

## §. LXVII.

Sed vero hic tamen, quod jam diximus, repetendum est. Opus scilicet Redemptionis, per quod Deus perfectiones illas sibi naturales & essentiales manifestat & pandit, tale esse, quod supponat S. S. Personarum *Trinitatem*; siquidem *diversae illius partes, diversas quoque*, quae easdem in se suscipiant, requirunt *Personas*. Inde enim sequitur, *summam illam potestatem*, quae ex hac  
vel





vel illa hujus operis parte oritur, ex peculiari illa relatione, *tantum Illi competere Personæ*, quæ hanc vel illam hujus operis partem in se suscepit. Sicut ergo ipsum Negotium Gratiæ, secundum varias suas partes, diversa ratione ad diversas S.S. Trinitatis Personas refertur, sic etiam, quod inde ortum suum habet, *Jus* atque *Potestas* diversum ad Personas Divinas respectum habet. Hoc modo itaque PATER, qui in se suscepit Personam Domini & Judicis etiam in Negotio Gratiæ Jus illud ac Potestatem in hominem & reliquas creaturas exercet, quæ ex Creatione orta fuerat. FILIUS autem, qui fungitur Redemptoris munere & λύτρον solvit, (r) quo sibi meruit ἡγῶσαν salvandi suos, (s) omnem illam accepit potestatem, quæ fuit ex beneficio Redemptionis, quæque comprehendit illa omnia, quæ virtute Ipsius meriti in Mundi atque Ecclesiæ regimine fiunt & geruntur. SPIRITUS S. denique, ceu Παράκλητος opus salutis in electis & redemptis perficit, iisque ex voluntate Patris tradit meritum Filii. Unde etiam vocatur *Utriusque Spiritus*, (t) & ab Utraque mitti dicitur. (u) Ipsum vero Regnum, quod in utroque, tum Creationis, tum Redemptionis opere fundatur, secundum *diversam illam*, quam nunc curatius exponemus, *Oeconomiam*, seu, quod idem est, *administrandi modum* tribuitur Patri & Filio, atque hinc vocatur *Oeconomicum*.

## §. LXVIII.

Itaque ut nunc specialius attingamus ea, quæ propius ad rem faciunt, Deo Patri tribuit Scriptura, quidquid Illi tanquam Creatori, in suas creaturas juris & potestatis

L. 3,

tis

(r) Math. XX. 28. (s) Johann. XVII. 2. (t) Rom. VIII. 9.

(u) Joh. XIV. 16 &amp; 26. cap. XV. 26.





tis competit. Urget hinc Deus ut Judex illam obedientiam, quam postulat *Lex cordibus inscripta*, (w) Quamvis enim homo & cum illo res hujus mundi, quarum Dominus a Deo constitutus fuerat, per peccatum in statum longe deteriorem transierint: Deus tamen de suo jure nec quidquam amisit. Mansit enim post peccatum quoque hominis rerumque omnium Creator & Conservator; manet & homo, licet lapsus, creatura Dei; manet proinde eadem quovis tempore inter Deum & hominem reciproca relatio. Deus igitur præscriptæ legis observantiam poscere, & in transgressores severe animadvertere summo jure potest. Est enim peccator quoque obstrictus, ut Deo obedientiam præstet, neque a pœna liber, si obedire detrectet. Hinc Deus post lapsum hominis non hominem tantum, sed & mundum propter illum damnavit & maledictum pronunciavit. (x) Temperavit tamen summa Dei Bonitas hujus sententiæ rigorem, quando Deus Ipse manifestavit qua ratione salva sua justitia peccator quoque possit esse ad Dei Gloriam cum propria salute. Cum Filio scilicet iniverat illud Consilium Pacis, cui dedit quidem, quem Ipse ut Dominus pro arbitrio elegerat, *populum peculii* (y) & *ἐξουσίαν salvandi suos*, (z) sed sub conditione, ut animam suam poneret *ΞΩΝ* (a) pro peccatis hominum, atque ita *Justitiæ Dei vindictivæ* satisfaceret.

## §. LXIX.

Virtute hujus pacti Deus Pater clarius adhuc & evidentius potestate sua summa & judiciaria usus est, tum circa Sponsorem, tum circa hominem & totius mundi regi-

(w) Rom. II. 15. (x) Genes. III. 16—19. (y) 2 Thessal. II. 14. (z) Johann. XVII. 2. (a) Jesaj. LIII. 10.





regimen. Ita erat quidem fructus illius pacti quod Deus non solum genus humanum multa patientia toleraret, sed & mox post lapsum Gratia consilium aperiret, (b) & Filio, suos in gloriam introducendi, copiam faceret; Attamen jus suum priusquam λύτρον esset solutum, quovis modo urfit Deus. Nondum enim Filio plenam, quam post perfectam demum Redemptionem Illi promiserat, concesserat potestatem, sed Mundum ita gubernabat, ut constaret, Justitiæ Divinæ nondum esse satisfactum. Erat inde, quod Regni Gratia a principio arcti admodum essent limites, quod paucæ primo familiæ, deinde solus populus Israël ad illud pertineret, reliquas vero gentes sub reatu relinqueret Deus, easdemque *vias suas ire sineret*, (c) ut exstaret quoque exemplum Justitiæ Divinæ in peccatoribus, Mediatore destitutis. Imo & respectu illorum, quos Filio Sponsori dederat, reservabat sibi Deus jus exigendi debitum pœnale, quod per Sponsionem Filius solvendum susceperat. Detinebat hinc illos quasi in carcere, atque per sæpius repetita Sacrificia, quæ cum aliis molestis caeremoniis exigebat Lex Levitica, convincebat *de reatu nondum sublato*. Quare licet fideles jam tum beneficiorum gratia fierent participes, tamen, ut Paulus loquitur, (d) *non sine nobis consummati sunt*. Denique sub finem hujus Oeconomiae Filium suum in mundum misit Deus, *Corpus Illi adaptavit*, (e) *exinanivit Illud*, (f) *fecit Servum Legi subiectum*, *Sacrificium pro peccato*, (g) donec tandem per Ipsius passionem & mortem, debitum illud pœnale plene exigeret. Hoc autem solu-

(b) Genes. III. 15. (c) Psalm. CXLVII. 19. 20. (d) Hebr. XI. 40. (e) Psalm. XL. 7. Hebr. X. 5. (f) Philipp. II. 7. (g) 2 Corinth. V. 21.





foluto, Deus quoque, ut Justus Judex, *justificavit Redemptorem*, ex mortuis suscitavit, & dedit Illi *omnem potestatem in cœlis ac in terris*, (b) quod ipsum indicatur per *collocationem ad Dextram*. Hæc omnia igitur pertinent ad *Potestatem Oeconomicam Patris* ejusque exercitium, hoc est ad illam partem, quam ex consilio S. S. Trinitatis in Negotio Gratiae obeundam susceperat Prima Deitatis Persona, quamque in Filii exaltatione & glorificatione consummavit.

## §. LXX.

Haftenus de Regno atque *Potestate Oeconomica Primæ Personæ*. FILIUS, secunda Deitatis Persona in se suscepit Redemptionem hominum. Satisfecit enim per sui Ipsius Sacrificium Justitiæ Divinæ, Sibi que acquisivit *populum peculii*, (i) cui factus est *causa salutis unica & perfectissima*. Ex hoc igitur capite competit Illi jus atque usus omnis illius *potestatis*, quæ ex Redemptione atque salute peccatoris oritur, quæque non minus suprema ac summa est, quam illa, quam exercuerat Pater, *virtute Creationis*. Erat fors atque conditio peccatoris post lapsum desperata prorsus. Nam læsa Majestate Divina spes vitæ supererat nulla; manebat potius peccatorem sempiternæ miseriæ certissimus metus. Neque ulla ratione fieri potuisset, ut ex tanta calamitate emergeret peccator, nisi Ipse verus ac æternus Dei Filius sese interposuisset Sponsorem, & postea per *sui ipsius oblationem* se exhibuisset verum populi sui Redemptorem. Non majus igitur est beneficium Creationis, quam beneficium Redemptionis; non major proinde *Potestas*, quæ ex Creatione oritur, quam hæc est, quæ ex Redemptione derivatur. Per illam enim

Filius

(b) Math. XXVIII, 18. (i) 2 Thessal. II, 14.





*Filius* factus est suorum *Dominus*, isque *absolutus & summus*; quippe quibus confert vitam aeternam, atque cunctos, qui virtute pacti, cum Patre initi, ex merito Ipsius profluunt fructus, tum gratiæ, tum gloriæ bona, largitur atque tradit.

## §. LXXI.

Quum vero non tantum hominis peccatoris ad pristinam felicitatem instauratio, sed etiam mundi gubernatio, quem Deus cum peccatore dudum perdere non potuisset tantum, sed & virtute suæ justitiæ debuisset, sit fructus Sponsionis ac Redemptionis, quam in se suscepit Filius Dei: simul patet, *quam lata & ampla* sit illa potestas, quæ inde Redemptori nata est. Ita enim non solum Dominus factus est suorum, quos Ipsi Pater salvandos dedit, sed & reliquarum creaturarum omnium, quæ aliquem ad hominem respectum habent. Nam virtute meriti Christi, atque interpositi Sacrificii conservantur propter electos, imo & illorum saluti inserviunt, & per illos sunt ad gloriam Dei. Est igitur illarum quoque Salvator noster *Dominus*, qui iisdem utitur ad bonum suorum, atque ad promovendam illorum salutem easdem regit ac gubernat. Denique huic Christi Dominio & potestati subiecti quoque sunt, quotquot Ipsius Regnum inestant hostes & adversarii. Nam & hos, postquam contrivit serpentis caput, Victor sibi subjugavit, ac demum *pedum scabellum ponet*. (k) Moderatur proinde & compescit eorundem furorem, ne noceant suis, & dissipabit perdetque cunctos in fine temporum, atque aeternis, quæ pridem meruerunt, suppliciis tradet. Utitur tamen quandoque his ipsis suis Regnique sui hostibus, licet insciis, ut

M

pro.

(k) 1 Corinth. XV. 25.





promoveant bonum suorum; eosque hos castigare permittit, ne securitati sese dedant, vel in certando langueant. Ex quibus omnibus elucescit supremum & absolutum in universum Mundum, & ipsos quoque hostes Salvatoris nostri Dominium atque potestas.

§. LXXII.

Regnum hoc Gloriosum Filii, in se spectatum est quidem æternum ac perpetuum, siquidem pactum illud, in quo Filius Patri postulanti ~~OWN~~ Sacrificium pro peccatis, adstipulatus fuerat, & vicissim Regnum legatum acceperat, (l) æternum erat atque eventus certissimi; sed tamen pro varia œconomia diversimode est administratum. Ita Filius Dei, virtute suæ Sponsionis mox post lapsum sese exhibuit Salvatorem suorum, eosque servavit ab ira Dei tutos. Quum inundaretur, propter aucta hominum scelera, totus terrarum orbis, quosdam per miraculum quasi servavit incolumes; (m) Israël nimia servitute pressum, manu forti, quæ miraculosis plagis vexabat Ægyptios, eduxit; (n) Priscos inhabitatores terræ, quam Abrahamo promiserat, interneconi dedit; (o) Alia quoque illis Gratia suæ testimonia dedit; Ipse Rex populo suo præesse volebat, (p) ita ut soli Israëlita in mundo vixerint, qui gloriari possint de forma Reipublicæ, quæ fuerit Θεοκρατική: donec gens duræ cervicis, nimis ad idolatriam & quævis peccata prona, sibi ipsi acceleraret iudicia, quæ Prophetæ, jussu Dei, sæpius illis minati fuerant. Tunc enim, qui accersebantur castigatores populi, Assyrii & Babylonii, vastata terra, dirutisque urbibus,

(l) Jesaj. LIII. 10. Zachar. VI. 13. (m) Genes. VI. VII. VIII. (n) Exod. II – XIV. (o) Numer. XXXI. Deuter. II. III. Jos. VIII – XII. (p) I Sam. VIII. 7.





bus, incolas secum in terras suas deportabant. (q) Elapso tamen tempore, quod exilio populi destinatum erat, Ipse, qui superstites erant, revocavit in terram, cujus hæredes erant ex Abrahamo *secundum carnem* nati, inque ea pristinam Rempubicam illos quodammodo instaurare permisit. (r) Itaque habebat quidem jam tum Filius Dei Regnum inter homines, verum illud tamen, eo durante tempore, quod supra potissimum vindicavimus *Regno Oeconomico Patris*, latuit quasi & mansit subobscurum. Considerabatur adhuc Filius tanquam Sponsor, qui reatum tollendum susceperat quidem, nondum tamen abstulerat. Unde & Redemptor Ipse tum supplicando quasi apud Patrem, tanquam Judicem, intercedebat: *Redime hunc vel illum*, nondum quidem solvi, *inveni* vero λύτρον. (s) Ut paucis rem complectar, tale adhuc erat Mundi atque Ecclesiæ Regimen, ex quo constabat conciliationem peccatoris cum Deo *actu* nondum factam, sed Justitiam Divinam, quæ urgebat *satisfactionem pœnalem*, placandam adhuc esse.

## §. LXXIII.

Ast vero postquam illud λύτρον solutum, & Redemptio esset perfecta, alia subsequuta est hujus Regiminis facies. Reparata pace inter Deum & homines, placata Justitia Divina, sublato peccatorum reatu per mortem & sanguinem Mediatoris, alius longe & excellentior Regni Christi splendor exortus est. Summam tum Filius accepit *potestatem in cælo ac in terra*, (t) *usum* scilicet *hujus potestatis plenissimum*; Plenam nunc, quam sibi promeruit, habet *ἐξουσίαν*, salvandi suos; (u) quippe quibus fa-

M 2

ctus

(q) 2 Reg. XXVII. (r) Esr. I. seq. (s) Job. XXXIII. 24.  
(t) Math. XXVIII. 18. (u) Johann. XVII. 2.





*Etus est, Sapientia, Justitia, Sanctificatio & Redemptio. (w)* Gratia & Gloria bona illis, absque ullis ira vel reatus adhuc exstantis signis largitur; Omne per Christi mortem deletum est *ἡμετέρας φων*, (x) neque hinc ullum in illis, qui in Ipso sunt, superest *καταδικα*. (y) Sed non solum pleno titulo Rex est suorum Filius Dei, verum & reliqua omnia *Ipsi sunt subjecta*, (z) regitque universum mundum, qui ad hominem respectum habet, ad utilitatem Ecclesiae. Regnum proinde Salvatoris nostri extendit se ad omnes sine discrimine gentes, ad fines usque terrarum, quae tota Ipsi patet; in qua nunc omnibus cum gratiarum actione utendi (a) suis copiam fecit. Omnes Ipsum Dominum confiteri coguntur, sive sentiant gratiam, sive tanti Regis experiantur iram. Consummabit denique hoc Regnum Oeconomicum in fine temporum per ultimum Judicium, in quo maxime adparebit Christi Regis & Judicis Majestas, quando cives Regni sui a reliquis publice separabit & sententiam in utrosque pronuntiabit.

## §. LXXIV.

Quod si nunc partes Patris & Filii, quas susceperunt in Negotio Gratiae, inter se conferre velimus, facile patebit, omne discrimen derivandum esse ex diversa illa Oeconomia, qua Deus nobis salutem dispensare voluit. Quamdiu scilicet Pater jure poterat exigere debitum a Filio, Filius Patri *subjectus erat*, tanquam *Servus*, quo nomine non semel venit apud Jesajam, (b) & quidem maxime circa finem hujus Oeconomiae, quando se Ipsum

(w) 1 Corinth. I. 30. (x) Coloss. II. 14. (y) Rom. VIII. 1. (z) Psalm. VIII. 7. (a) 1 Corinth. X. 25, 26, 30. (b) Jesaj. LII. 13, LIII. 11. &c.



ἐκένωσε *exinanivit*, (c) & homo ex hominibus factus est. Tunc enim expressis apud Johannem verbis (d) *Patrem se Majorem* professus est, adparuitque *minoratus* *pre* מוֹלֵךְ (e) vel, ut Paulus vertit, *Angelis* (f) donec Deus Ipsum tandem *faceret* ἀπαγρίαν *pro nobis*. (g) Itaque quum judicium exercere in alium, debitumque exigere, potestatem dicat in illum, in quem exercetur, & a quo exigitur, atque potioris juris fit punire, quam poenam suscipere: Filius, quamdiu duravit illa, de qua diximus, *Oeconomia Patris*, *fuit minor & inferior Patre*, profecto *non Natura*, quod salva Sacrosanctæ fidei nostræ analogia, nemo unquam affirmabit, sed *ex Oeconomia Negotii Gratiæ* & virtute pactæ conventionis. Postquam igitur cessasset Regnum illud *Oeconomicum* Patris, cessavit quoque illa, quam in Redemptorem habuerat, *potestas*, atque, quæ inde orta fuerat, *Filii subiectio*. Verum non cessavit tantum potestas illa *œconomica* Patris, sed & Filius, virtute meriti sui atque initi pacti *omnis illius Juris*, *omnis illius potestatis*, *que oritur ex Negotio Gratiæ*, *exercitium consequutus est*. Quod idem est ac si diceremus, præstita ac perfecta Redemptione totum Mundum regi ac gubernari ad gloriam Filii, Salvatoris consummati, ut constet post solutum debitum poenale placatam nunc esse Justitiam Divinam: quemadmodum vigente adhuc reatu Mundus eo modo gubernatus fuerat, ut constaret, Patrem hoc debitum adhuc urgere. Quæ & ratio est, cur Christus dicitur consedis-  
se ad Dextram Dei, *facta demum peccatorum purificatione*.

M 3

§. LXXV.

(c) Philipp. II. 7. 8. (d) Johann. XIV. 28. (e) Psalm. VIII. 6. (f) Hebr. II. 7. (g) 2 Corinth. V. 21. (h) Hebr. I. 3.





## §. LXXV.

Quæ quum ita sint, facile intelligimus, phrasin hanc, quæ Christum nobis proponit *sedentem ad Dextram Dei*, in omni emphasi sumptam, indicare summam illam potestatem, per quam Filius Dei, consummatus Salvator, *qui adeptus est Nomen supra omne Nomen*, (i) capeffivit Regnum universale & summum, sedesque suas occupavit *in throno Majestatis*, (k) tanquam supremus omnium Rector & Gubernator. Significatur autem illa potestas speciatim per Sessionem ad Dextram Patris, tum quia summam hanc potestatem exercet *ex voluntate atque concessione Patris*, qui per Ipsum omnia gubernat ac regit; tum maxime, quia Pater, suis in Oeconomia Negotii Gratiae defunctus partibus, Regnum Filio concessit ac tradidit, ita ut nihil fiat in Mundi atque Ecclesiae Regimine, nisi virtute *satisfactionis & meriti Jesu Christi*, cum respectu ad lytrum Mediatoris nunc solutum atque Salvatoris *Justificati & consummati gloriam*.

## §. LXXVI.

Quamvis autem hoc Regnum Filii & universale sit, & summæ potestatis, quæ soli Deo propria est, Regnum tamen Naturæ, quod ex Creatione oritur, non tollit, vel tanquam aliud illi oppositum est. Quum enim omnia, quæ subsunt Regno Gratiae, sint & maneant creaturæ Dei, neque tollat Gratia naturam rerum, sed eandem perficiat potius: Jus illud quoque quod ex Creatione fuit, Deo manet integrum, eoque etiamnum utitur, in Regimine naturali & morali, dum per providentiam communem omnia

---

(i) Philipp. II. 9. (k) Hebr. I. 3.



omnia ad gloriam suam, ad quam condita erant, ducit & dirigit. Omne vero discrimen, uti in antecedentibus observavimus, repetendum est ab Oeconomia diversa Negotii Gratia. Nam quum Sanctitas Divina non permetteret, ut Deus peccatori conferret Salutem, atque ita Bonitatem suam ostenderet, *absque Justitiæ Divinae demonstratione*: hac facta Deus jure suo ita utitur, ut in Regimine creaturarum non solum Justitiæ, sed & reliquarum virtutum ac perfectionum, Bonitatis & Misericordiae gloria manifesta fiat.

## §. LXXVII.

Quod itaque nunc Mundi atque Ecclesiae Regimen tribuatur *Filio*, nec Gloriam Deitatis reliquarum Personarum, nec *identitati Essentiae* quidquam derogat. Nam & ipsa Gloria Dei, ad quam, ceu ultimum finem, diriguntur omnia, *communis* est; & perfectiones Divinae, quae in hoc regimine manifestae fiunt, Deo *essentiales* sunt, ipsaque potentia & potentissima voluntas, quae omnia producit & efficit, omnium Personarum una eademque est. Sicut ergo dici non potest, *Filium*, per illam suam glorificationem virtutes illas Divinas demum accepisse, quas potius, quia *ejusdem est essentiae*, semper cum reliquis Personis communes habuit: ita nec in illo Regimine, quod κατ' οὐνοποιαν competit *Filio*, exclusae sunt reliquae Personae, quia, uti diximus, illa potentia, cujus virtute & efficacia omnia fiunt, est *Essentiae Divinae*. Tribuitur autem nunc tota illa potestas *Filio*, tum quia oritur ex peculiari opere oeconomico, quod Ipsi soli proprium est, *ex satisfactione scilicet Justitiæ Divinae per Ipsum praestita*; tum, quia ea omnia, quae Deus δεικνύς spectatus in Mundi atque Ecclesiae Regimine, quale nunc est,





est, agit, pariter inde fluunt, & faciunt ad gloriam Filii per passionem consummati, atque ad manifestationem Justitiæ & Misericordiæ unice tendunt. Hoc sensu igitur Filius factus est hæres omnium; moderatur tanquam ἀνδραγαθα Gloriæ Divinæ omnia verbo potentie; quando purificatione peccatorum per semet Ipsum facta, condescendit ad Dextram Majestatis in excelsis. (l)

## §. LXXVIII.

Quum vero DEXTRA sit locus honoratior & prælationis alicujus notionem involvat, illud potissimum hic in quaestionem venit, quo sensu Filius dicatur Patri sedere DEXTER? Non sufficit, quod & supra jam monuimus, rem ita concipere, quod Rex aliquis, illum cui maximum honorem velit deferre, sibi soleat collocare a Dextris, ut ita sui quasi honoris & potestatis eum participem faciat. Communio enim & participatio tum Gloriæ Divinæ, tum Ipsius Divinitatis Filio cum Patre eadem est per Essentiæ identitatem; Oeconomicam autem quævis Persona propriam habet. Neque tamen dici potest, per Oeconomiam illam Filium factum esse Potiorem & Honoratiorem Patre, vel Patrem Filio esse subiectum. Hoc enim (quod jam supra adversus MALDONATUM, qui hoc adfirmare ausus fuit, observavimus) non solum Paulus expressis verbis negat, & licet omnia sine discrimine Filio subiecta esse doceat, Patrem tamen ab hac subiectione excipit: (m) sed turbaret etiam talis prælatio Ordinem Personarum Naturalem.

## §. LXXIX.

(l) Hebr. I. 2. 3. (m) I Corinth. XV. 27.





## §. LXXIX.

Nobis ergo observasse liceat, phrasin & loquutionem, qua utitur Sacra Scriptura & cui in his Mysteriis presse inharendum est, ne quidem poscere, ut *honoris & dignitatis prælationem*, quæ per illam significari videtur, referamus ad *Personam Patris*. Nullibi enim in Scriptura S. ubi mentio fit *Sessionis ad Dextram Dei*, exprimitur *Nomen Patris*, cui Filius assideat *Dexter*, licet addatur illud in Symbolo, non Divina, sed Ecclesiastica auctoritate concinnato; quod tamen in titulo dissertationis & nos sequuti sumus. Sensus igitur in illis Scripturæ locis, in quibus Christus dicitur sedere vel simpliciter *ad Dextram*, (n) vel *ad Dextram virtutis & potentie*, (o) *Majestatis*, (p) *Throni*, (q) planus esset, si diceremus, significari hac loquutione *summam Salvatoris Potestatem cum prælatione, respectu omnium creaturarum, quæ Ipsi sunt subiectæ*, & præ quibus longissime eminet. (r) Neque difficilior esset explicatio illorum locorum, quæ Christum nobis proponunt, *sedentem ad Dextram DEI*. (s) Nam nec inde colligi potest gradus Unius Personæ præ altera eminentior, siquidem omnes Personæ Deus sunt. Hic ergo, quum *Dextra Dei*, simpliciter sumpta, absque respectu ad aliquam *Sinistram*, significet *summam Dei Potentiam*, quod plurimis Scripturæ testimoniis supra confirmavimus: per *Sessionem ad Dextram Dei* nihil aliud intelligitur, nisi *summa Potentia*, & quæ

N

est

(n) Hebr. VIII. 1. & XII. 2. (o) Math. XXVI. 64. Marc. XIV. 62. Luc. XXII. 69. (p) Hebr. I. 3. (q) Hebr. XII. 2. (r) Hebr. I. 4. & II. 8. (s) Marc. XVI. 19. Rom. VIII. 34. Colossens. III. 1. 1 Petr. III. 22. Hebr. X. 12.





est vere Divina. Hæc si admittamus, Christus ad *Dextram Dei sedere* dicitur, quia occupavit Cælum (t) & *Thronum Majestatis Divinæ*, (u) atque exercet Potentiam & Potestatem Divinam; Quæ Ipsi nunc potissimum competit ac tribuitur, quia totius Mundi Regimen, quale nunc est, fundatur in Opere Ipsi Oeconomico, & omnia eo diriguntur, ut Redemptione nunc facta & perfecta, Filius Dei sibi Regnum in Mundo erigat, tueatur, promoveat, & tandem consummet.

## §. LXXX.

Quod si tamen urgeas *Sessionem Christi ad Dextram Dei* considerari tanquam a Patre Ipsi concessam, atque proinde per Dominum illum, qui dixit Domino Davidis: *Sede ad Dextram MEAM*, (w) intelligi *Primam Deitatis Personam*, ut ita *Dextra Dei* nulla alia sit, nisi *Dextra Patris*: dabimus hoc etiam. Nam & Scriptura Novi Testamenti non videtur hunc loquendi modum prorsus repudiare, quando *PATREM Christi illum ex mortuis suscitasse & ad Dextram SUAM in cælis collocasse* dicit. (x) Verum nec hinc sequetur, Personam Filii factam esse *Digniore Personam Patris*. Tunc enim sicut *Dextra Patris* denotabit *Opus Oeconomicum Patris*, & Mundi atque Ecclesiæ Regimen huic conveniens: ita *Sessione Filii ad Dextram Patris* significabit, quod, consummato opere oeconomico Patris, nunc potissimum locum habeat Regnum oeconomicum Filii, quod consequutus est virtute Redemptionis nunc factæ & perfectæ. Itaque non indicatur hac loquutione, *Filium Patri dignitate præferri*, sed *ope-*  
ri

(t) Actor. III. 21. (u) Hebr. VIII. 1. (w) Psalm. CX. 1.  
(x) Ephes. I. 20.



ri Patris succedere opus Filii; illo scilicet per demonstrationem Justitiæ peractio & consummato, nunc Filium, virtute præstitæ satisfactionis, plenam accepisse potestatem, ut opus suum ad salutem forum, hostiumque perniciem Ipse quoque consummet, donec demum glorificetur in Sanctis suis & admirabilis adpareat in credentibus omnibus. (y)

## §. LXXXI.

Quamvis autem Pater Filio Regnum hoc modo œconomice cesserit, ut *Ipse non judicet quemquam, sed omne iudicium tradiderit Filio*: (z) hoc tamen nihil derogat dignitati Patris, neque naturali, neque etiam œconomice spectatæ. *Non enim potest Filius a se quidquam operari, nisi quod viderit Patrem operantem. Quæcunque Ille facit, Filius pariter facit. Nam Pater amat Filium & omnia, quæ facit, Illi monstrat.* (a) Diximus potius Filium Dei ideo considerari *sedentem ad Dextram Patris*, quia Filius nunc regnat, hoc est, quia Mundi atque Ecclesiæ Regimen administratur cum respectu ad Redemptionem factam & perfectam; vel, ut idem dicamus clarius, quia Pater, postquam munere suo œconomico defunctus est, suamque Justitiam vindicavit per Sponsoris primo passionem & mortem, Ejusdemque deinde absolutionem & exaltationem, Mundi atque Ecclesiæ Regnum *tradidit Filio*. *Sessio igitur ad Dextram* referenda non est ad dignitatem Personæ, sed ad Opus, in quo Regnum ipsum fundatur. Imo, si accuratius loqui velimus, *Sessio ad Dextram*, quatenus *prælationem* significat, ne quidem referenda est ad *Operis dignitatem*, ut unum concipiatur

N 2

altero

(y) 2 Thessal. I. 10. (z) Johann. V. 22. (a) Johann. V. 19. 20.





altero præstantius, sed tantum ad *Successionis ordinem*. Sicut enim *debitum solvere* dignius non est, quam *illud exigere*: sic & Opus æconomicum Filii non est dignius aut præstantius Opere æconomico Patris. Exactionem autem sequitur Solutio, Solutionem vero excipit Jus, quod ex Solutione præstita oritur, & potest hinc Sponsor, soluto debito, suo jure uti, quod inde redundat; neque tamen Judex, qui suo munere est defunctus, ullum hoc modo patitur vel dignitatis, vel honoris jacturam aut detrimentum.

## §. LXXXII.

Licet ergo *Sessio ad Dextram Patris* denotet summam potestatem, ejusque exercitium atque usum: Pater tamen illam Filio non concessit, tanquam *Honoratiori*, sed adjudicavit & dedit saltem Sponsorii præmium, quod Ipsi vi præstitæ solutionis debebat. Itaque hoc tantum indicatur, quod Regno Oeconomico Patris succedat Regnum Filii, idque, respectu Patris, sine ulla honoris aut gloriæ imminutione. Nam Pater est, qui omnia subjecit Ipsi pedibus, (b) quique, quum omnia Illi subjecerit, Ipse tamen ab hac subjectione liber est. (c) Manet igitur idem Personarum ordo, quia, quod Filius nunc Regnum administrat, virtute muneris æconomici, quodque Pater Ipsi, suis defunctus partibus, tradidit, non nisi *ex sententia Patris* consequutus est; Imo licet omnia regat Filius virtute Redemptionis jam factæ, ad salutem suorum hostiumque perniciem: eadem tamen dirigit *ad Gloriam Patris*, manifestationem scilicet *Justitiæ & Misericordiæ*. Hoc vero Mediatori proprium est, ut Juris & Victoriæ, per sanguinem

(b) Psalm. VIII. & CX., I. Hebr. II. 8. (c) 1 Corinth. XV. 25.





sanguinem suum partæ & adquisitæ, fructus Ipse percipiat, atque valorem Sacrificii sui, ad Redemptionem oblatis, ostendat & exerat ad Seculi usque & Ecclesiæ consummationem. *Oportet enim Regnare Christum, donec cunctos hostes pedibus suis supposuerit, ipsamque Mortem, ultimum hostem abolerit.* (d)

## §. LXXXIII.

Possit res aliquo modo illustrari exemplo Salomonis Regis. (e) De illo enim legimus, quod Rex imperans, tamen Matrem, quæ ipsum visitabat, *ad suam Dextram collocaverit.* Sicut ergo Salomon hic respiciebat ad *Relationem naturalem*, ob eamque sibi *præferbat* Matrem, licet illi non cederet *prærogativam civilem*; ita etiam, si spectemus Regnum Filii Oeconomicum, Deus Pater Filium sibi potuit collocare ad Dextram, absque mutatione vel imminutione *relationis naturalis.* Quod exemplum a contrario quasi desumptum, rem ipsam tamen mirifice illustrat. Sed ut idem exprimamus clarius, fingamus exemplum, quod inter homines saltem accidere posset. Ponamus Regem aliquem sibi populum habere rebellem & criminis læsæ Majestatis reum, quem proinde Justitia & Majestate sua salva, non possit non extremis devovere suppliciis. Ponamus & Filium Regis intercessisse, imo & in se suscepisse poenam aliquam, quæ respectu dignitatis Ipsius, delicto subditorum par censei possit, ut vindicet Majestatem Patris. Ponamus denique Regem misericordia tactum, hanc Filii intercessionem acceptasse, vel etiam Ipsum ad hoc prius invitasse Filium, sub certa Regni illius promissione. Rex Pater tandiu servabit &

N 3

urge-

(d) 1 Corinth, XV. 25. (e) 1 Reg. II. 19.





urgebit jus vindicandi læsam Majestatem, donec Filius promissis steterit & *satisfactione* aliqua vindicaverit læsam Patris Majestatem. Hoc facto Pater promissum Regnum tradet Filio, ut cunctos, qui lubentes Ipsi se subjecerint, servet, & sui Regni recipiat cives, reliquos vero, qui rebellare Ipsique adversari pergunt, puniat ac perdat. Sane nullum honoris detrimentum pateretur Pater, si etiam hunc suum Filium, Regem inaugurandum, sibi collocaret a Dextris. Si objicias Patrem hoc modo locum & dignitatem suam prorsus cedere Filio, imo & Ipsi hac ratione esse subjectum: fateor hac locum habere posse inter personas, quarum singulæ *proprium* habent *esse*, quæ *subjecta* sunt sua natura *diversa*, quæ proinde etiam *diversum* habent *operandi principium*; sed neutiquam inter Personas Divinas, quæ *ejusdem* sunt *Essentiæ*, & de Quarum Potestate in relatione ad opera æconomica hic saltem quæstio est.

## §. LXXXIV.

Possimus & deberemus forte plura addere de Gloria Domini nostri Jesu Christi, tum quod ad Personam, tum quod ad munus Ipsius attinet. Commode enim hoc loco dici posset, quomodo Regium hoc Christi munus cum Prophetico & Sacerdotali sit unitum, atque in horum utroque & illud exerceatur. Agi posset de ipso Salvatoris Regno, atque vario modo, quo illud administratum est, quibus scilicet gradibus hætenus illud promotum, quidve de eo adhuc expectandum sit. Denique posset exponi, qua ratione Filius Dei hoc suum Regnum æconomicum in *ultimo fine* consummaturus, & salva Regni Ipsius æternitate, Patri rursus sit *traditurus*. (f). Verum proli-

(f) Vid. 1 Corinth. XV. 24. & 28.



prolixiorē hāc tractationē postulant; neque etiā de ipso munere Regio Domini nostri Jesu Christi nunc agere constituimus, sed tantum de *Sessione Christi ad Dextram Dei*, hoc est, quare hac potissimum phrasi summa illa Salvatoris Gloria & Potestas in Scriptura Sacra exprimitur.

## §. LXXXV.

Pro nostro igitur modulo nos exposuisse arbitramur.

*Primo*, indicari hac loquutione summā potentiā & absolutā Potestatis exercitium in totius mundi atque omnium creaturarum Regimine, (g) quo Deus sua decreta exequitur, (h) usque ad Mundi & Ecclesiā, adeoque etiā seculorum consummationem. Ostendimus.

*Secundo*, Divinā hujus Potestatis exercitium *œconomice* tribui *Filio*; quoniam fundatur in Redemptione per sanguinem Ipsius facta, (i) *Ideo enim Dignus*, qui accipiat librum & aperiat sigilla ejus, quoniam *mafactus*, redemit nos Deo per sanguinem suum. (k) Diximus.

*Tertio*, Filium Dei ex eadem ratione post passionem *Gloria esse coronatum*, (l) *accepisse omnem potestatem in Cœlis ac in Terris*, (m) atque *Nomen supra omne Nomen*; (n) *omnia sibi habere subiecta*, (o) & occupasse nunc *Thronum Majestatis* (p) in quo Sceptrum gerat, tanquam supremus omnium Rex atque Princeps. Ostendimus.

*Quarto*,

(g) Eph. I. 20.—23. (h) Apocal. V. (i) Philipp. II. 8. 9. seq. Hebr. X. 12. (k) Apocal. V. 9. (l) Hebr. II. 7. (m) Math. XXVIII. 18. (n) Philipp. II. 9. (o) Psalm. VIII. Hebr. II. 8. (p) Hebr. VIII. 1.





Quarto, quæ ratio sit, cur summa illa Salvatoris nostri gloria exprimatur per *Sessionem ad Dextram Dei*, quia scilicet Potestas & Potentia Divina in Ecclesiæ atque Mundi Regimine sese potissimum exerit in fructibus, qui fluunt ex merito Filii, ut *omnis lingua confiteatur, Dominum esse Jesum Christum.* (q) Exposuimus &

Quinto, qua ratione hoc debeat intelligi in *relatione ad Patrem, ad cujus Dextram* Filius sedere dicitur; cuius rei causam esse diximus, tum quia Filius summam suam Potestatem consequutus est *ex sententia Patris*, tanquam Judicis; siquidem *Dextra Dei exaltatus est,* (r) & *Deus Dextra sua sursum sublatum, Ipsum constituit Principem:* (s) tum quia Pater sumpta vindicta, per consummationem Mediatoris, peculiari illo opere, quod in Negotio Gratiæ susceperat, defunctus, Regno suo Oeconomico, cujus illud fundamentum erat, quasi cessit; & Regnum, quod ex satisfactione & Redemptione præstita oritur, Filio administrandum tradidit, ut, quod Ipsi ex eadem ratione debebatur, absolutum & summum exerceret Dominium, Regnumque Satanæ, peccati & mortis destrueret. Explicavimus denique

Sexto, quomodo hoc fieri potuerit absque ulla vel Divinæ Majestatis diminutione, vel ordinis, qui Divinis Personis naturalis est, immutatione. Illa enim, quæ exercetur Potestas, est *Divina*, & proinde non minus ac ipsa Essentia omnibus Personis *communis*. Quamvis ergo Redemptionis opus, quod hujus potestatis fundamentum est, sit *Filio proprium*, illud ipsum tamen ex communi voluntate atque consilio Sacrosanctæ Trinitatis suscepit & administrat, & quidem ita, uti convenit Naturali

(q) Philipp. II. 11. (r) Act. II. 33. (s) Act. V. 31.



rali Personarum ordini. Fungitur enim suo Regno & Regali potestate *Filius* virtute meriti sui, ex sententia *Patris* atque operatur per efficaciam Spiritus Sancti. Unde & Scriptura Sacra hoc Regnum refert non ad Unam vel Alteram Personam, sed ad Sacrosanctam Trinitatem universam spectatam. Ita propter *Filium* & cum Illo omnia nobis gratificari dicitur PATER, (t) Daturus nobis omnia, quæ in Nomine Filii petiverimus, (u) ut ita in Filio glorificetur Pater. (w) Filii quoque Spiritus est, qui operatur in electis, atque omnibus, sed solis datur illis, qui Christi sunt. (x) De Filio enim testatur Ille Παράκλητος, (y) quippe cujus dona merito Filii parta sunt & adquisita. In hoc itaque, de quo hactenus diximus, Regno Filii, omnium Personarum Divinarum, imo & cujuslibet operis œconomici ἐμπεριχόρησις est manifesta.

## §. LXXXVI.

Ex dictis sponte sequitur, esse hunc articulum de Sessione Christi ad Dextram Dei gravissimum. & totius Salutis nostræ Mysterii quasi summam. Cognoscimus enim ex illo Negotii Gratiae Auctorem Deum Triunum & Personarum Divinarum in hoc opere Oeconomiam; edocemur Filium Dei esse unicam & perfectissimam Salutis nostræ causam; experimur quis quantusque valor sit sanguinis a Mediatore fusi, quippe cujus virtute salus nobis non impetratur tantum, sed & confertur; observamus quæ sit Regni Gratiae indoles & administrationis ratio, quæque in illius progressu & consummatione nobis adhuc exspectanda restent; cognoscimus denique, quanam

O

sint

(t) Rom. VIII. 32. (u) Johann. XVI. 23. (w) Johann. XIV. 13. (x) Rom. VIII. 9. (y) Johann. XV. 26.





sint illorum officia, qui hujus Regni cives esse, vel fieri cupiunt. Uti vero inde ab adscensione Salvatoris per ipsum rerum eventum, in Mundo atque Ecclesia gestarum, Dominum nostrum Jesum Christum *ad Dextram Dei sedere* sumus experti: sic in fide, spe atque patientia plenam Ipsius victoriam praestolamur & illud adhuc exspectamus tempus, quo *omnem creaturam Benedictionem & Honorem & Gloriam & robur Illi qui in throno sedet atque Agno adclamantem* (z.) audiemus. Faxit Ille, qui sedet ad Dextram Dei, ut adproximante Festo Tabernaculorum inter numerosam illam turbam, *albis amictam vestibus, manibusque palmas gestantem*, compareamus; & una cum Jubilantium choro secundum veterem hymnum: *נָחַם יְהוָה הוֹשִׁיעָה נָחַם* vocem extollamus: *Salus est a Deo nostro, qui sedet in Throno & Agno;* Atque Angelorum accinamus *ἐπαινον*: *Amen, Benedictio & gloria & sapientia & gratiarum actio & honor & potestas & vires Deo nostro in secula seculorum. Amen. (\*)*

AMEN.

\* \* \* \* \*

**S**int vero hi tandem Dissertationis limites, quos fere protraxi latius, quam Specimen laborum academicorum videbatur requirere. Cum successu haud infelici, nec prorsus irriti interfui haecenus institutionibus  
Theo-

(z.) Apocal. V. 13. (\*) Apocal. VII. 9. 10. 11. 12.



Theologicis, atque in his rebus Præceptores habeo Viros Theologos Clarissimos & summe Reverendos JOHANNEM CHRISTIANUM & JOHANNEM SIGISMUNDUM utrosque KIRCHMEYEROS. Acceptent Viri, pro quorum salute vota quotidie fundo, quas saepe privatim dixi, nunc publicas etiam gratias. Faxit Deus O. M. ut diu vivant Viri de Ecclesia Christi præclare meriti & Regnum cælorum promovere pergant, neque per adproximantem senectutem vires corporis in Illis debilitari patiatur. Scio cunctos sua his addere vota, quibus purior Religio curæ cordique est.

Hanc vero, quam in præsentī Dissertatione exhibui *Sessiois Christi ad Dextram Dei* explicationem debeo soli Viro Summe Reverendo JOHANNI CHRISTIANO KIRCHMEYERO, Qui &, ut in titulo vides, præsidium Disputationis in se suscipere non dedignatus est. Vir Summe Reverendus, quum consilium meum, hoc argumentum prolixius elaborandi, a me rescivisset, nova mihi & illustriora adhuc suæ erga me benevolentia testimonia dedit. Nam, non obstantibus aliis iisque gravioribus negotiis, publicis privatas quoque addidit institutiones, atque summa cum cura id egit, ut veram Ipsius mentem in hoc argumento attingerem. Ut verbo absolvam, talia & tanta sunt VIRI CLARISSIMI mihi collata beneficia, quæ a nemine, nisi solo Ipso expectari poterant. Potissima igitur Dissertationis pars, interpretatio scilicet articuli *de Sessione Christi ad Dextram Dei*, hausta ex ipsa Oeconomia Salutis, Summo potius, Quem nominavi, Theologo, quam mihi tribuenda erit. Aliquam tamen simul & ipse reportabo laudem, qui primus hanc VIRI CLARISSIMI sententiam, quæ veritatum pandit latissimum campum, & cunctas, quibus reliquæ Theologorum in-

O. 2.

terpre-





terpretationes laborare videbantur, difficultates prorsus tollit atque solvit, vulgavi, distinctoque ordine aliis exposui. Si tamen quadam in proponenda sententia, vel reliquis, quæ ut Metaphoram aliquo modo illustrarem, premisi, jure possent desiderari, illa lubens in me suscipio, & mihi ut condonentur rogo. Quod & facile me impetraturum confido.

### T A N T U M.

*Errata quædam typographica, præsertim in prioribus plagulis, (posteriores relegere non licuit)  
Lector sequentia notet.*

Pag. 4. lin. 18. lege *teste*. lin. 21. lege *ἐρεπον*. pag. 13. lin. 22. lege *ELSNERI*. pag. 15. lin. 18. post *Latinorum* adde *consensum*. pag. 18. l. 22. lege *quorum*. pag. 23. lin. 10. lege *incessisse*. pag. 62. lin. 26. lege *Patre*. pag. 80. lin. 14. lege *ponderis*. pag. 99. l. 4. lege *suorum*.



DE